D. Nicolson

$165
21 Sept. 1975

JOANNIS BECKMANNI

BRITAN. REGIS A CONSILIIS AUL. PROFESSORIS OECONOMIAE

LEXICON BOTANICUM,

EXHIBENS

ETYMOLOGIAM,

ORTHOGRAPHIAM ET PROSODIAM

NOMINUM BOTANICORUM.

GOTTINGAE

APUD JOANN. FRIDER. RÖWER.

1801.

C. H. PERSOON,

DOCTORI MEDICINAE,

MERITIS IN BOTANICAM

PRAECELLENTISSIMO,

MONUMENTUM AMICITIAE

D. D. D.

J. B.

Non omnia herbarum nomina, ne dum ea, quae recentiori demum tempore oblata ſunt, explicare ſtudui, ſed illa potiſſimum, quae iam Linnaeo vſitata et a Persoon in *Syſtema vegetabilium* recepta ſunt,

Quae nomina herbae traxerunt a viris doctis, qui de re herbaria bene meriti ſunt, ea fere praeterii, quippe quae ſatis expoſita ſunt a viro vene-

rabili G. R. Böhmero, in *Commentatione botanico-litteraria de plantis in memoriam cultorum nominatis.* Lipsiae, 1799. 8.

Pauca tamen ex iis inserui, quorum ad explicationem conferre posse mihi videbar, quod non admodum pervulgatum sit.

Quibus verbis subscripsi nomen Borrichii, ea huc transtuli ex Olai Borrichii *lingua pharmacopoeorum, sive de accurata vocabulorum in pharmacopoliis vsitatorum pronunciatione.* Hafniae. 1670. 4.

Nominum, quibus iam Graeci atque Latini vsi sunt, etymologiam, horumque vim atque rationem, non valde

valde curavi, cum ea plerumque incerta ſint, neque botanicos multum iuvare queant. Ratio denominandi a ſcriptoribus tradita non fere convenit in eas herbas, quas nos iisdem nominibus appellamus, cum raro admodum veteres eandem herbam dixerint, quam hodie eodem nomine vocamus, neque facile coniiciatur, de quanam herba iis ſermo fuerit.

Quae a me omiſſa ſunt nomina, et quae poſteri dabunt, ſublegant alii, ſi vſus fuerit.

Ceterum

„ *non me fallit fore aliquem, qui* „*hunc iocum noſtrum acutis naribus, et* „*caperata fronte condemnet; negetque* „*me*

„me omnia, quae huc pertinent, recte „attigisse. Quem ego verum dicere fa„tebor; iuste, negabo. Quippe si bo„nus est, quae omisi, non oblita mihi, „sed praeterita existimet. Dehinc qua„liscunque est, cogitet secum, quam „multa de his non reperisset, si ipse „quaesisset. Sciat etiam me nec omni„bus erutis usum, et quibusdam oblatis „abusum."

AUSON. *edit.* Souchay pag. 335.

Scrib. Gottingae
d. 24. Jun. 1801.

ABEL-

Abelmoschus (Hibiscus), i. M. Planta seminis odorati fragrantia moschum provocans, inter Aegyptios hodie satis nota, *Ab el mosch*, et simpliciter *mosch*, non *Bel mosch* (quod legitur in Bauh. *pin.* p. 317.) Semen autem aspiratione adaucta *Hab el mosch*, gramen moschi ab Arabibus nuncupatur. Haec Prosp. Alpinus in *Aegypti hist. nat.* 2. p. 207. et 1. p. 191. De nomine moschi conf. quae disputavimus in Waarenkunde 1. p. 266.

Abies (Pinus), abietis. F. pen. corripit. De nomine et synonymis conf. C. Gesneri *opera botan.* 1. p. 43.

Abroma. Nescio, num sit ἄβρομος, ου, strepitum magnum edens, an sit oppositum *Theobromati*, i. e. cibo deorum, praefixo α privativo. Quod si primum est, nomen est generis feminini, secundus casus est Abromae, et pen. corripitur. Sed si nomen factum est ex βρῶμα, τος, cibus, nomen est neutrius generis, cuius pen. producenda, et genitivus est abromatis.

Abrotanum (Artemiſia), rectius *abrotonum*, nam Galeno *de ſimpl. med. fac.* lib. 6. dicitur *ἀβρότονον*. Pen. corripitur. Nam Horat. *epiſt.* 2, 1, 114: *Navem agere ignarus navis timet, abrotonum aegro Non audet, niſi qui didicit, dare.* Sed Abrotonites apud Columel. 12, 35. penult. producit. Conf. C. Gesneri *opera botan.* 1. p. 53.

Abrus (Glycine). Semina corallini ruboris ex Arabia felici in Aegyptum deferuntur, ad cultum puellarum. Inde etiam nobis nomen indeclinabile. Proſp. Alpini *hiſt. nat. Aegypti* 2. p. 40. et ibi Vesling. p. 183.

Absinthium N. (Artemiſia). Male ſcribitur Abſynthium, eſt enim Graece *ἀψίνθιον*.

Absus (Caſſia). Hoc nomine, nobis quod indeclinabile, Aegyptii plantam vocant, de qua vid. Proſp. Alpin. *hiſt. nat. Aegypti* 2. p. 46. et ibid. Vesling. p. 191.

Abutilon (Sida). Penultimam corripere ſolemus, vti in peſtilens, vmbilicus, corylus. Nomen eſt arabicum, quod Avicenna botanicae intulit.

Acacia (Mimoſa). *ἀκακία* Dioſc. 1, 133. penultimam corripit; ita enim Vindicianus, quem tempore Theodoſiani ſenioris Imper. vixiſſe conſtat, quem Burmannus in *poetis minor.* 2. p. 389. Marcellum vocat, v. 57: *Acacian propolimque, et adarcen, cnicon, acanthum.* Avicennae quidem vocatur *Akhakhia*, ſed ab eo, in voce Graeca, non capiendae leges. De hac planta

planta eiusque nomine multa disputavit Salmasius ad Solinum.

Acaena, ae, ἄκαινα, spina, aculeus, etiam virga pastoritia. At nulla huius nominis herba reperitur in libris veterum.

Acajou (Anacard. occident.) nomen Americanum.

Acalypha. Latinis, Plinio aliisque dicitur *Acalephe, es.* F. Pen. producenda. Nam graece ἀκαλήφη quod ἄκαλος sit τῇ ἀφῇ, sive noxia tactu, sicuti urtica. Aemil. Macer. 2, 2: *Graecus acalephen, nos urticam vocitamus.* Sed apud Gellium 4, 11. p. 287. in quibusdam libris legitur ἀκαλύφη. Conf. Casaubon. *animadv.* in lib. 3. Athen. et Radulphus Fornerius *rerum quotidian.* 3, 30.

Acanthium (Onopordum), ἀκάνθιον ab ἄκανθα, spina.

Acanthus, ἄκανθος, ab ἄκανθα, spina. Plin. 24, 12. Virg. *Georg.* 2, 119: *Et baccas semper frondentis acanthi.*

Acarna (Cnicus) Theophrasto *histor.* lib. 6, 4. planta est Cnico similis.

Acer, eris. N. penultima corripitur.

Acetabulum (Peziza) pen. corripit.

Acetosa (Rumex) a grato acore, sed vocabulum novum, sine idonea auctoritate. Pen. produc. vt in morosus, bellicosus.

ACHILLEA, ae, pen. producitur. Virg. *aen.* 3, 326: *Stirpis Achilleae faſtus, iuvenumque ſuperbum.* Achillea herba Plinio aliquoties laudata, eadem *Achilleos*, ἡ ἀχίλλειος βοτάνη. Plin. 25, 5. ſect. 19: *invenit et Achilles diſcipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quae ob id achilleos vocatur.* Conf. Fabricii *biblioth. graeca* XIII. p. 27.

ACHRAS. F. *achradis.* pen. corripitur. Nam Columella 10, 14: *Achrados aut pruni lapidoſis obruta pomis.*

ACHYRANTHES ab ἄχυρον, palea, acus, nomen deductum dicitur in *philoſ. botan.* p. 177. Ita Linnaeus nomen *Achyracantha* contraxit, quod obtulerat Dillenius horto *Elth.* 7. Inde nomen triviale (Illecebrum) *achyrantha.*

ACIDOTON (Adelia). i. producitur; nam Graecis ἀκιδωτὸς eſt cuſpidatus, acuminatus in modum cuſpidis.

ACINOS, i. M. in accuſat. acinon. (Thymus). Pen. corripitur. Ita Plinio vocatur herba odorata ocimo ſimilis. *Acinus* notat et baccas, quibus conſtat uva, et baccarum nucleos interiores ſeu ſemina, quae notio noſtris botanicis accepta eſt.

ACISANTHERA (Rhexia) producitur, ex ἀκὶς, ἴδος, cuſpis ferrea, ſpiculum, et ἀνθηρὸς, floridus, vel potius ab anthera botanicorum.

ACMELLA (olim Verbeſina, nunc Spilanthus). Nomen Ahmella, Atcmella, Hacmella cum

planta

planta innotuit anno 1691 ex insula Ceylon. Conf. Raii *hist. plant.* 3, 1, pag. 226.

Aconitum producitur. Ovid. *metam.* 1: *Lurida terribiles miscent aconita novercae.*

Acorus, i. M. saepius Acorum. N. ἄκορον Dioscor. Penult. corripit, et sic etiam Vindicianus vel Marcellus.

Acrostichum pen. corripitur. ἀκροστιχὶς et ἀκρόστιχον, est initium versus, ex ἄκρος, summus, et στίχος, versus.

Actaea, nomen plantae, de qua Plin. 27, 7. conf. Linnaei *flora Lappon.* p. 175.

Adansonia. Arbor maximae proceritatis, quam primus diligenter descripsit Adanson, cuius, etsi inimici, nomen Linnaeus arbori dedit, rogatus ab Iussieu, sed non sine suspicione fore, vt posteri Adansoniam reducant ad genus nimis affine Bombacis. Michael Adanson natus est d. 7. April. 1727. Aquis Sextiis in Provincia Galliae. Bene ille de botanica promeritus est, sed multo plura promisit, quam praestitit. Conf. Halleri *bibl. botan.* 2. p. 461.

Adenanthera, ae. producitur. ἀδὴν, ἀδένος, glandula, quoniam habet glandulam in apice exteriori antherarum.

Adhotada (Iusticia) nomen Zeylonicum.

Adiantum, sine H scribendum; est enim graece ἀδίαντον, herba dicta ab α et διαίνω, quoniam folium eius aqua persusum non madefiat, sicco semper simile.

Adonis, is et idis. Ἄδωνις, nomen iſtius iuvenis, quem Venus in deliciis habuit, forma praecellentem, in florem purpurei coloris converſum, de quo Ovid. *metam.* 10, 736. Ergo pen. producitur, et nomen eſt generis maſculini. Itaque ſpecies male dicitur *Ad. apennina*, quae debet dici Adonis apenninus. Poſſunt autem eiusmodi cognomina probari illa orationis figura, quam grammatici veteres epexegeſin, recentiores appoſitionem vocant. Licet enim in vocabulo adiectivo intelligere herbam ſeu plantam; quaſi tu dicas: Adonis, quae herba dicitur vel eſt apennina. Atque hoc ſemel monuiſſe ſufficiat. Plin. 21, 10. ſect. 34. vocat aliquam herbam *Adonium*, quam ex Adonidis ſanguine ortum traxiſſe poetas fabulari, auctor eſt.

Adoxa, ἄδοξος, inglorius, infamis, abſurdus, Conf. *philoſ. bot.* p. 182. Aſcribamus verba ex *horto Cliffort.* p. 153: "Elegimus hoc no„men, cum ſit planta quoad externa, quae „prae ſe fert nullam ſplendidam faciem, nul„lum ornamentum, nullamque gloriam, ſed „in partibus fructificationis diſcedit ab omni „theoria et doctrina ſyſtematica a numero de„ſumta, praeſertim apud adoxos, qui propor„tione numeros expedire recuſant."

Aegilops, *aegilopis*. F. αἰγίλωψ, nomen arboris glandiferae apud Plin. 16, 6. Penultima in nominativo et caſibus obliquis corripitur.

Aeginetia. Hoc nomen a Paulo Aegineta, ſcriptore ſaeculi ſeptimi, indiderat Linnaeus peculiari generi, quod poſtea reduxit ad illud, quod nunc Orobanche dicitur. Neque Paulus de botanica ita meritus eſt, vt hocce honore dignus videri poſſet. Ceterum aegineta eſt incola inſulae Aeginae, qualis fuit Paulus, neque potuit inde planta bene dici Aeginetia. *Aes aegineticum* praedicatur a Plinio. De Paulo conf. Halleri *bibl. med. pract.* 1. p. 311. et Hamberger zuverläſſige Nachrichten. 3. p. 510.

Aegiphila. Ex αἴξ, αἰγὸς, capra. Herba capris amica ſ. grata. Pen. corripitur. Nomen recens.

Aegopodium. Graecis dicitur αἰγοπόδης, capripes, ex αἴξ, caper, et ποῦς, pes; ſed ita nulla iis planta dicta eſt. "Traxit nomen ab „aliqua convenientia foliorum cum vngula vel „pede caprae." Lin. *hort. Cliffort.* p. 107.

Aeschynomeme, es. F. αἰσχυνομένη i. e. erubeſcens. αἰσχύνη, pudor, verecundia. Hoc nomine Plinio 24, 17. vocatur planta, quod appropinquante manu folia contrahat. Pen. corripitur.

Aesculus, i. F. pen. corripitur. Virg. *Georg.* 2, 291: *Aeſculus in primis, quae quantum vertice ad auras.* Per *ae*, ex vſu vulgari et derivatione, quam Voſſius adfert; conſentit Servius ad Virg. l. d. Alii malunt *Eſculus* per *e* ſimplex, etymon, vt aiunt, ſequuti. Nam quem ad modum Fagus ἀπὸ τοῦ φάγειν,

 edere,

edere, ita ex eorum ſententia Eſculus ab eſca, quod ex eius fructu priſci eſcam ſumerent. Vtrumque in codicibus emendate editis. Videant eruditiores, neque noſtrum eſt vbique tantas inquirere lites.

Aethiopis, idis. F. (Salvia) corrip. Herba magica Plinio.

Aethusa producitur. Αἴθουσα interdum eſt particip. a verbo αἴθω, ſignificans *ſplendens;* interdum ſubſtantive ponitur ſignificans ϛοὰν, *porticum.* At nunquam αἴθουσα eſt *mendica,* quod falſo perhibetur in *philoſ. botan.* p. 186. Cynapium habet folia adeo nitentia, vt merito dicatur ſplendens ſ. aethuſa.

Agallochum (Excoecaria) penultimam corripit. Graecum nomen eſt ἀγάλλοχον, de quo diſputat Salmaſ. *de homon.* cap. 6. p. 7. et ad Solinum p. 742.

Agaricus male. Nam Latinis Agaricum. N. pen. corrip. Ἀγαρικὸν, ab Agaria, Sarmatiae regione, dictus fungus Dioſc. 3, 1. Vindicianus vel Marcellus 55: *Agaricumque aſarumque potens, aloen, aconitum.*

Agave, es, ἀγαυὴ, admirabilis, praeclara, ſc. planta. Penultimam producimus. Sic enim Homerus *odyſ.* 2, 209. et 5, 1. et 15, 229. Theocrit. *idyl.* 25, 55. et 26, 1. Horat. *ſat.* 2, 3: *Quid, caput abſciſſum demens cum portat Agave.* Ita vocatur Cadmi et Hermionis filia.

Age-

Ageratum. Pen. corrip. ἀγήρατος, senectutis expers. Ex α et γῆρος, senectus, quod herbae nomen legitur apud Plin. et Dioscor. Dicitur vero, quoniam flos colorem diutissime servat.

Agnus castus (Vitex). Agnos est fruticis nomen, cuius foliis matronae Thesmophoriis Atheniensium castitatem custodientes, cubitus sibi sternebant. Plin. 24, 9. sect. 38. Inde nomen ἀγνὸς seu ἁγνὸς, castus. Male recentiores duplicata voce *Agnum castum* dicunt.

Agrimonia, nomen plantae, quam Celsus 5, 27, 10. commendat.

Agrostemma, N. nomen a Linnaeo confictum ex ἀγρὸς, ager, et στέμμα, corona. Ergo scribendum per *m* duplex. Casus genit. *Agrostemmatis*, penultimam corripit. Cum sit gen. neutrius, dicendum est Agrostem. coronarium, non, vt vulgo, coronaria.

Agrostis, is; in casu quarto agrostin. F. Nomen graminis, quo vsus est Dioscor. 4, 30. et 31, 32, atque inter Latinos primus, quod nunc scio, Apuleius *de herbis* cap. 77; etsi sint, qui apud Columell. VI, 31, 2. pro *agrestis* legere malint *agrostis*, qua de coniectura disputavit Gesnerus ad h. l. Conf. Du Cange *glossar. graec.* p. 21.

Ajacis (Delphinium). Ajax, Ajacis, producitur. Haec delphinii species est hyacinthus veterum, cui Plin. 21, 11. p. 244. scribit inesse ita discurrentes venas, vt graecarum litterarum

figura A, I, legatur inſcripta. Conf. Bartholinus *de medicis poetis*, in praefat. p. 8.

Aira, ae. αἶρα Graecis dicitur Lolium, quod e frumenti corruptione proveniens putabatur.

Aiuga, ae. F. penultimam corripiunt lexicographi. Nomen legitur apud Plin. Apulej. et Scribon. Sed Voſſius *etymol.* p. 15. corruptum putat ex Abiga, cuius penult. etiam corripitur.

Aïzoon, i. N. Graecis ἀείζωον, ergo nomen quatuor ſyllabarum, cuius pen. producenda, ἀεὶ, ſemper, et ζωὴ, vita. Quaſi ſempervivum. Plin. 25, 13. p. 384.

Alaternus, i. F. (Rhamnus). Apud Columel. 7, 6. nomen fruticis capris grati.

Albuca. Eſt planta, Plinio quae Albucum, i. N. dicitur, non *albuca*, *ae.* Pen. producitur, ſicut in manduco, feſtuca.

Alcanna (Lawſonia inermis), nomen arabicum, quod apud Avicennam duplici modo legitur et *alchanna* et *alcona*.

Alcea, ae. ἀλκέα, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, ob inſignem vim plantae, de qua Plin. 27, 4. Pen. corripitur, neque bene ſcribitur a quibusdam alcaea.

Alchemilla dicta, quia alchemiſtarum praeconiis celebrata ſit. Bauh. *pin.* p. 319.

Aldrovanda. Hoc nomen generi dedit Joſeph. Monti in *Actis Bonon.* vol. 2. deductum ab Ulyſſe Aldrovando, viro ſummae eruditionis

ac

ac diligentiae, qui natus Bononiae 1522, obiit ibidem 1605 aetate decrepitus, ſed non pauper. Conf. *Memorie della vita di Ul. Aldrovandi, — col alcune lettere ſcelte d'uomini eruditi.* Bononiae 1774. 8. auctore Giov. Fantuzzi. Monti *varii plantarum indices.* Bonon. 1724. 4. et 1753. 4. Bayle *diction.* 1. p. 150. Halleri *bibl. botan.* 1. p. 402 et 435.

Aletris. F. nomen primum, ni fallor, legitur, in *amoen. acad.* 3. p. 11. vbi alethris per th. Sed ἀλετρὶς, ἴδος, eſt molitrix, molitoris vxor. Habet *Aletris farinoſa* flores, farina qui conſperſi videntur, vnde hoc genus nomen traxiſſe opinor. Corripitur.

Alhagi (Hedyſarum). nomen arabicum, quod Rauwolf *itiner.* 1. p. 89. edit. Francof. 1582. 4. evulgavit.

Alisma, alismatis. N. pen. corripitur. Ἄλισμα nomen herbae apud Dioſc. et Plin. Falſo itaque *Al. ſubulata* dicitur pro *ſubulatum;* niſi in adiectivo intelligatur *herba.*

Alkekengi (Phyſalis). Officinae, ait Ruellius p. 612. Mauritanos ſequutae alcaquengi vocant.

Alliaria (Eryſimum) eo, quod folia digitis comminuta allium redolent. Nomen veteribus incognitum.

Allionia, genus cui Loefling nomen impoſuit Caroli Allione, profeſ. botan. Taurin de quo conf. Halleri *bibl. bot.* 2. p. 452.

Allo-

Allophylus. ἀλλόφυλος, alienigena, extraneus. Penult. producitur, etsi Prudentius *hamartig.* 500, et Paullinus, contra naturam graecae vocis, accentum recentiorem secuti, corripuerint penultimam. Male igitur Allophyllos; nisi quis nomen ex ἄλλος et φύλλον compositum esse contendat.

Alnus, i. F.

Aloe, es. F. Ἀλόη. Plin. 27, 4.

Alopecurus, i. M. ἀλωπέκουρος. Herba apud Theophr. 7, 20. et Plin. 21, 17. non dissimilis vulpinae caudae. Ἀλώπηξ, vulpes, οὐρά, cauda. Penultima producenda.

Alpigena (Lonicera). More veterum dicenda fuisset *Alpina.* Nam alpigena recens fictum nomen est ad exemplum *indigenae;* atque eadem ratione corripitur, quem ad modum cuncta ex *gigno* cum nominibus composita, vti alienigenus, nubigena, omnigenus, cet.

Alpinae plantae, quas enumeravit Lin. in *amoen. acad.* 4. p. 415. Pen. produc.

Alpinia, genus dictum in honorem Prosperi Alpini istiusque filii Alpini Alpinii, mortui 1638, professorum botan. Pisanorum, de quibus conf. Horti Pisani historia in Pontederae *epistolis et dissert.* 1791. 4.

Alsine, es. F. ἀλσίνη ab ἄλσος, nemus, lucus. Pen. produc. ex analogia, ita Neptunine Catul. 65. Nerine Virg. *ecl.* 7.

Alstroemeria, planta admodum ſpecioſa nominata in honorem Claudii Alſtroemeri, Sueci, qui eam primus miſit praeceptori. Conf. *amoen. acad.* 6, p. 250.

Althaea, ae. F. dicta ab ἄλθω ſ. ἀλθαίνω, ſano, medeor. Plinii aetate erat herba, quae a quibusdam a praeſtanti efficacia nominabatur *Ariſtalthaea.* Plin. 20, 21.

Alypum (Globularia), i. N. ſ. Alypia. ἀλυπὸς, doloris et triſtitiae expers. Ex α et λύπη, triſtitia. Ἀλυπία, vacuitas doloris. Plin. 27, 4. Pen. corripitur ex analogia.

Alyssum, herba ſic dicta, quae morſui canis rabidi mederi credebatur, λύσσαν enim Graeci rabiem vocant. Plin. 24, 11.

Amaracus Lobelii (Origan. majorana) pen. corripit. Sic Virg. *aen.* 1, 693: *Idaliae lucos, vbi mollis amaracus illum.*

Amarantus, graece ἀμάραντος, ἀπὸ τοῦ μὴ μαραίνεσθαι, quod non marceſcat, immarceſcibilis. Perperam igitur ſcribitur per *th*, amaranthus. Conf. Voſſii *etymol.* et Fr. Vaſſor in *antibarb.* p. 480. Marceſſit quidem flos, ſed retinet colorem vivum ſiccatus.

Amaryllis, Tityri amica ruſtica apud Virg. *ecl.* 1, 51. Amaryllidis penultimam corripit. *Formoſam reſonare doces Amaryllida ſilvas.* De allegoria, quam quidam nomini ineſſe credunt, conf. Crenii *animadverſ. philolog.* X. p. 158-160. Conf. *Hort. Cliffort.* p. 135.

Ambrosia, planta apud Plinium, atque cibus deorum. Ovid. *ex Ponto* 1, 10, 11: *Nectar et ambrosiam, latices epulasque deorum.*

Amelanchier (Mespilus). "Vix vllus locus „paulo asperior montanae Galloprovinciae est, „cui desit huius fruticis proventus. — Inter „folia crebra foetura baccae rotundae admo„dum nigrae, magnitudine myrti, sapore „plane melleo, et pergrato plebeculae, quas „ideo vocat Amelanchos, quasi mellea." Haec Lobelius in *adversar.* p. 441. Idem in *observation.* p. 608: Amelanchier Gallorum. Auelacques Lingua-Gottorum. — — Equidem his nihil iam addere queo, dico tamen, etiam in Normannia vinum admodum dulce ex pomis paratum vocari Améléon.

Amellus, i. M. Virg. *georg.* 4, 271: *Est etiam flos in pratis, cui nomen amello.*

Amethystea a floris colore nomen accepit in *philos. botan.* p. 169. At Latini dixerunt *amethystina*, penultima correpta.

Ammannia. Ammannus fuit nomen aliquot virorum, qui botanices scientia inclaruerunt, sed ille, a quo planta nomen traxit, fuit Paulus Ammannus, profess. Lipsiensis 1633, de quo conf. Halleri *bibl. botan.* 1. p. 518, cuius filium Johannem esse temere perhibet Linnaeus in *amoenitat. academ.* 5. p. 276, qui quidem ex alia stirpe natus est, quod recte monuit G. R. Böhmer.

Ammi. N. ἄμμι. Stephanus genitivum facit ἄμμεως, ammios, ſed Plin. habet *ammium*, *i.*

Amomum, i. N. pen. produc. Graece ἄμωμον, id eſt irreprehenſibile, maculae expers. Virg. *eclog.* 4, 25: *Occidet. Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.*

Amorpha, ae. ἄμορφος, formam non habens, deformis. μορφὴ, forma; quia flori papilionaceo deſunt carina et alae. Conf. *Genera plantar.* p. 369. et *hortus Cliffort.* p. 353.

Ampeloprasum (Allium). pen. corripit, quo nomine Dioſcor. et Plinius vſi ſunt. Ab ἄμπελος, vitis, et πράσον, porrum, quod in vinetis naſcatur.

Amygdalus, i. F. pen. corrip. Palladio ita vocatur arbor, cuius fructus eſt amygdalum. Sed Columella etiam arborem vocat amygdalam.

Amyris, is. F. nomen arboris, cuius Hieronymum mentionem feciſſe legimus; in libris antiquioribus, ni fallor, non occurrit. Fuit etiam nomen Sybaritae cuiusdam. Pen. corripitur; ſicut in ſatyra, zephyrus. Sunt complures ſpecies huius generis balſamiferae, vnde quis poſſit coniicere, nomen eſſe deductum a μύρον, vnguentum, vel a μυρὶς, ἰδος, vas vnguentarium; at obſtat α privat. quod plantae vnguentum negare videatur.

Anabasis, is. F. pen. corripitur. ἀνάβασις ab ἀναβαίνω, adſcendo, quod planta Plin. 26, 13. arbores ſcandat.

Anacampseros, otis. M. (Sedum), ἀνακαμψέρως, herba, cui a magis ea vis tribuitur, vt eius tactu redeant amores. Plin. 24, 17. Ex ἀνακάμπτω, reflecto, et ἔρως, amor. Pen. corripitur.

Anacardium, i. N. ἀνακάρδιον. Ita a recentioribus medicis Graecis femina dicta funt, quod cordis figuram coloremque aemulentur. Sic Paulus Aegin. in confectione δι' ἀνακαρδίων.

Anacyclus. ἀνακυκλόω, circumcingo. ἀνακύκλωσις, circumdatio. Pen. producitur. Nomen recens.

Anagallis, lidis. F. pen. corripitur. ἀναγάλλις Diofcor. 2, 170. et Plinio.

Anagyris, is. F. pen. corrip. ἀνάγυρις. Diofc. 3, 149.

Ananas (Bromelia). Hoc nomine ex appellatione americana orto primus vfus eft Jean de Lery, fed *Nanas* iam apud Andre Thevet legitur. Conf. noftra *inventionum hiftoria* 1. p. 439.

Anandria (Tuffilago). Hoc nomen impofitum eft huic Tuffilaginis fpeciei a Sigisbeckio, praefecto quondam horti botanici Petropolitani, quoniam ei ftamina prorfus deeffe arbitrabatur, quo exemplo totum fyftema fexuale, a quo quam maxime abhorrebat, evertere volebat. Linnaeus autem, acceptis feminibus, probavit in *amoen. academ.* 1. p. 168, effe fpeciem Tuffilaginis, atque habere omnino ftamina. Ibi quo-

quoque rationem, cur nomen Sigesbeckii ſervaverit, ita docet: "Si qui Anandriam Siges-
„beckii accipiant pro diſtincto genere in ſuis
„hiſtoriis botanicis, obſervent hanc plantam
„ideo appellatam eſſe Anandriam, quia primus
„nominator ſtamina non animadverterit."

Anastatica, ab ἀνάςασις, reſurrectio, quoniam roſa Hierochontis ſ. ab Hiericho humectata reviviſcere olim credebatur, qua de fabula conf. Bellonii *itinerar.* 2, 86. p. 143. Conf. *hortus Cliffort.* p. 328.

Anblatum (Lathraea). Vox hybrida e Germanico Anblatt; id eſt ἄφυλλος, foliis carens, ohne Blatt, ſeu potius Unblatt, vbi un ſive an (quae ſyllaba producitur) pro α privativo Graecorum inſervit. Sic dicimus: Unwetter, Anwedder; nec ſcio, num Andorn eodem modo formatum ſit.

Anchusa, ae. penult. producitur. ἄγχουσα ab ἄγχω, conſtringo, coarcto. Dioſc. 4, 65.

Andrachne, es. F. ἀνδράχνη. Plin. 13, 22. Columel. 10, 376.

Androgynus. i. (Ruſcus) ἀνδρόγυνος, vtrumque habens ſexum, feminae ſcilicet et maſculi. Corripitur. Auſon. *epigr.* 69, 12: *Vidit nubentem Plinius Androgynum.*

Andromeda, ae. F. Cephei et Caſſiopes poetis filia eſt, vxor Perſei. Penultimam corripit. Propertius 3, 21, 29: *Non hic Andromedae reſonant pro matre catenae.* Quare placuerit

 haec

haec appellatio Linnaeo, videſis *Floram Lap- pon.* p. 126.

Andropogon. ἀνὴρ, ἀνδρὸς, vir, πώγον, barba; ergo barba viri, et penultima producenda, ſicut in Tragopogon, barbula hirci. Andropogonis pen. produc.

Androsaces, is. F. ἀνδρόσακες. pen. corrip. Dioſc. 3, 133. Plin. 27, 4.

Androsaemum (Hypericum), ἀνδρόσαιμον. Plinio 27, 4. ſect. 10. herba ſic dicta eſt, quae trita ſanguineo ſucco manat. Hinc nomen videtur, quaſi tu viri ſanguinem dicas. αἷμα, ſanguis, ἀνὴρ, ἀνδρὸς, vir.

Andryala pen. corripit, ſic Italus, Tantalus. ἀνὴρ, ἀλὴ, erratio, error. Nomen plantae in Theophraſti *hiſt.* 7, 7. in numero olerum.

Anemone, es. F. penultima producenda. ἀνεμώνη, ἄνεμος, ventus. Adonidis cruor in anemonem florem mutatus eſt, quo alluſit Ovid. *metam.* 10, 739.

Anethum. pen. produc. Virg. — — *et florem iungit bene olentis anethi.* ἀνήθον.

Angelica, ae. Nomen Plinii aevo in vſu eſſe non potuit. Penult. corripit, auctoritate Coelii Sedulii, poetae Chriſtiani ſaec. 5, qui iſto adiectivo frequenter vſus eſt.

Anguina. (Trichoſanthes). Dicitur a fructus forma Michelio auctore. p. 12.

Angu-

Anguria, ae. (Cucumis). Hoc nomen ſaepe occurrit apud Aetium, qui primus eo vſus dicitur Ruellio, apud Achmetem, Simeonem Sethi, Agapium Cretenſem in *Geoponico*, ſed nondum apud Dioſcoridem, etſi eius auctoritas in lexicis quibusdam adſcripta ſit. Graeci dixerunt *ἀγγούριον*, et pluraliter *τὰ ἀγγούρια*. Conf. Du Cange *gloſſar. graec.* p. 9. Igitur rectius dicitur *Angurium*.

Anisum, i. (Pimpinella) producitur. Sunt qui putent, dictum eſſe ex eo, quod folia habeat *ἄνισα*, id eſt inaequalia. Voſſius mavult, quia *ἀνίησι*, hoc eſt, remittit et laxat flatulentas tenſiones.

Annona. Ex nomine americano *Anona*, fecit Lin. vocabulum latinum, cuius pen. producitur. *Philoſ. botan.* p. 163. *Hortus Cliffort.* p. 322.

Anserina (Potentilla) pen. produc. Adiectiva in *inus* exeuntia, deducta a nominibus rerum animatarum, producunt penultimam.

Anteuphorbium (Cacalia). Sic dictum, ait Bauhinus, a contrariis Euphorbio facultatibus, hoc enim adverſus euphorbii acrimoniam, indigenis remedio eſſe fertur.

Anthelmia (Spigelia) pro Anthelminthica; dicta ab *ἕλμινς, ινθος*, lumbricus, quoniam vermes inteſtinales expellit. Inde vocantur medicamenta anthelminthica.

Anthemis, idis. F. corripitur. ἄνθεμις ab ἄνθος, flos. Plin. 22, 21.

Anthera, ἀνθηρὰ scil. βοτάνη, herba florida, produc. Nostratibus ita dicitur pars staminis polline gravida, quod matura dimittit.

Anthericum corripitur. Sed Latini dixerunt anthericus, M. ἀνθέρικος, caulis asphodeli. Plin. 21, 17.

Anthoceros, otis. M. pen. corripitur, sicut in monoceros. Nomen confictum a Michelio ex ἄνθος, flos, et κέρας, cornu, vt sit floris cornu. Sed Lin. *critica botan.* p. 131. maluit *Ceranthus* vocare, vt sit cornu flos. Anthocerotis et omnes casus obliqui producunt penultimam, sicut monocerotis. Martial. *epigr.* 1, 4: *Et pueri nasum rhinocerotis habent.*

Antholyza penultimam producit. Lin. in *philos. bot.* p. 183. ab ἄνθος, flos, et λύσσα seu λύττα, rabies, derivat nomen, quapropter rectius scribitur Antholyssa. Falso putavit Planer in teutscher Nomenclatur p. 12. nomen idem esse, quod nobis Steinblume, quasi sit a λίθος, quod secus est.

Anthora (Aconitum) pen. corripitur. Nam Thora, Tora, Dora, Taura, Tura (ita variis in libris legitur) corruptum vocabulum videtur esse ex φθόρα a φθείρω, corruptio, venenum, mors; quam ob causam rectius scribitur *phthora*. Anthora autem est nomen contractum ex Antithora seu Antiphthora, quia

phthorae

phthorae alexipharmacum esse creditur. Eiusdem notionis iam Gesnero creditum est nomen *Doronicum*, quasi thorae antidotum, *διὰ τὸ τὴν τόραν νικᾷν*. Conf. Gesneri de aconito dissert. annexa *epistolis medicinal.* p. 12. B. et Bauh. *hist. plant.* 3, 2. p. 651. Lobelii *adversar.* p. 263.

Anthospermum, nomen a Linnaeo conflatum ex *ἄνθος*, flos, et *σπέρμα*, semen. Occasionem ita denominandi dedit Pontedera, qui in *Epist.* videtur antheras putasse seminum rudimenta. Conf. Lin. *genera plant.* p. 552. *Hortus Cliffort.* p. 455.

Anthoxanthus, nomen a Linnaeo infeliciter confictum ex *ἄνθος*, flos, et *ξανθὸς*, ruber, fulvus, vnde fecit Anthoxanthum generis neutrius.

Anthriscus, i. M. (Tordylium et Scandix). Plinio etiam anthriscum, i. N. Theophrasto, Hesychio et auctori *etymolog.* *ἀνθρίσκον*.

Anthyllis, idis. F. Nomen herbae, quo iam vsi sunt et Dioscor. et Plinius. Hic quidem eam distinguit ab Anthyllio seu Anthyllo.

Antidesma, atis. N. pen. corripitur. Ex *ἀντὶ* et *δέσμα*, vinculum. Nomen a Burmanno factum, quasi sit antidotum adversus venenum serpentis cuiusdam.

Antirrhinum, corripitur. Ex *ἀντὶ* et *ῥὶν*, nasus. Herba Dioscoridi ac Plinio ita dicta, quod semine sit vituli naribus simili.

Aparine, es. F. (Galium) producitur. ἀπαρίνη apud Dioſcor. ac Plinium.

Aphaca (Lathyrus) corripitur. ἀφάκη, legumen Theophraſto, Dioſcoridi Plinioque celebratum.

Aphanes, is. F. corripitur. ἀφανής, έος, latens, non apparens ſc. herba. Nomen a Linnaeo inditum.

Aphyllanthes, is. F. olim rectius Aphyllanthos, i. M. ex α privat et φύλλον, folium, et ἄνθος, flos. "Nomen fecerunt," inquit Lobelius *adverſar.* p. 190 "ſtudioſi herbarii „Monspelienſes, non quia nulla folia emittat, „ſed quod adeo ſint exilia et iuncea, vt vix „dum emerſa areſcant et feſtucas praeferant, „paleasve, pallidiuſculo colore in imo ceſpite „e fibroſa iunci radice."

Aphyteia, cui plantae cum nulla omnino ſit herba, dicta a φυτεία, ας, planta, et α privat. Conf. Lin. *amoenit. acad.* 8, p. 313.

Apios, i. M. (Euphorbia et Glycine) ἄπιος Theophraſto, Dioſcor. Plinio.

Apium, i. N. Nomen vetuſtum, cuius origo neſcitur; coniecturas obtulit Voſſius *etymol.*

Apluda, ae. pen producenda. Apud Feſtum, Gellium et Plinium legitur Appluda, ſed non pro herbae nomine. Plinius 18. ſect. 23: *Milii et panici et ſeſamae purgamenta appludam vocant.*

Apo-

Apocynum, i. pen. corripitur, Ex κύων, canis, Frutex, qui canes ab ipsis comestus necare traditur. Sed apud Latinos hoc nomen non reperitur.

Apyrinum (Malum) corripitur. Mart. 13, 43: *Lecta suburbanis mittuntur apyrina ramis.* Sed dicitur etiam *apyrenum*, penultima producta. Vtrumque est ab α et πυρὴν, nucleus. Nucleo carens.

Aquartia. De hoc nomine Jacquin in *Selectarum stirpium American. histor.* pag. 13: "Hunc „fruticem nominavi in honorem amici, histo„riae naturali addictissimi, Benedicti Aquart, „in patria insula Martinica primarias inter ne„gotiationem agentis, quo in excursionibus „botanicis saepe feliciterque vsus fui socio, et „cui plurimas ad histor. naturalem spectantes „res pulcerrimas me debuisse, gratus recor„dabor semper."

Aquifolium (Ilex). Aquifolius, a, um, adiectivum est Latinis; sic *aquifolia arbor* apud Plinium; *aquifolii vectes* apud Catonem. Salmasius contendit esse aquifolia quasi acuifolia ab acuendo. Conf. Gesner ad auctor. R. R. Ergo debebimus dicere *Ilex aquifolia.*

Aquileia, ae. Nomen, quod cum planta, ante pauca saecula, innotuit. Dicta videtur quasi aquilina, ob florum mucrones aduncos, vt sunt aquilini vngues. Matthiolus, Lobelius aliique *Aquilinam* nominarunt.

Aquilicia. Rumphio vocabatur *frutex aquosus*, cui Linnaeus reddidit nomen ab aquilicio. Aquilicium vero dicitur, cum aqua pluvialis remediis quibusdam elicitur, Festo auctore.

Arabis. F. corripitur. In casu secundo et Arabis et Arabidis, in quarto Arabida. Nomen neque Graecum, neque Latinum est, quod recte iam monuit Marcellus, neque apud Graecos legitur, nisi apud Dioscoridem, sed in quibusdam tantum codicibus, vbi lib. 2. cap. 187. inscribitur περὶ ἀραβίδος seu περὶ δράβης. At sine controversia quidquid ibi de arabi seu draba legitur, a Dioscoride non scriptum est, sed additum est ab alio. Conf. Matthiol. ad Dioscor. 2, 151. p. 450.

Arachis. Apud Theophrastum Arachidna est nomen plantae, quod Lin. contraxit in Arachis. Satius fuisset nominare plantam Arachum vel Aracum. Nam arachus et aracus sunt nomina diversarum plantarum apud Graecos ac Plinium, de quibus disputavit Bodaeus ad Theophrast. p. 919. Arachis corripitur, vt aracus. monachus.

Aralia, ae. Origo nondum mihi innotuit. Nam aralia, ium, huc non pertinent. Ita olim dicebantur agri ad arationem idonei, quibus opponuntur runcalia. Vid. Du Cange.

Arbutus, i. F. medium corripit. Virg. *ecl.* 3, 82: *Dulce satis humor, depulsis arbutus haedis.* Fructus dicitur arbutum, i.

Archan-

Archangelica. (Angelica). Adiective apud Hieronymum reperitur. Quaſi praeſtantiſſima inter omnes angelicas.

Arctium, i. Plin. arction et arcion. Dioſcor. 4. cap. 106. ἄρκτιον, et cap. ſeq. ἀρκεῖον; ſunt itaque nomina diverſarum plantarum. Arcium (non arctium) vocabant quidam, Dioſcoride auctore, προσωπίδα, aut προσώπιον, quaſi plantam perſonatam. Plin. 25, 9: *Quidam arcion perſonatam vocant*; vbi tamen Harduinus non *arcion*, ſed *echion* habet. Hinc Lin. nomen triviale accepit: *Arctium perſonata*. Conf. v. *Bardana*.

Arctopus, odis. M. ab ἄρκτος, vrſus, et πους, pes. Pleraque compoſita ex πους ſunt maſculina, vti polypus, apus, tripus. Pen. corripitur, vt ſyllaba *o* in arctophylax, ἀρκτομυς, caet. Lin. *hort. Cliffort.* p. 495: "Arctopum pedem „vrſi diximus a ſimilitudine involucri cum „horridis ferarum vnguibus."

Arctostaphylos, i. (Vaccinium) ab ἄρκτος, vrſus, et σαφυλὶς, ἴδος, uva; ergo uva urſi, quam noſtrates etiam vocant Bärentraube.

Arctotis, is. F. Ex ἄρκτος, vrſa, et οὖς, ὠτὸς, auris. Ita commutavit Lin. nomen Vaillantii Arctotheca. Penultima producitur, vti in Myoſotis, auricula muris.

Arcturus, i. M. (Verbaſcum) producitur, nomen herbae iam Plinio vſitatum. ἄρκτος, vrſa, et οὐρὰ, cauda.

Areca. Quod Arabibus vocatur Faufel, dicitur in Malabar areca, quod nomen Lufitani primi in Europam intulerunt. Conf. Garc. ab Horto *hift. arom.* 1, 25. Vulgo producitur, et fcribitur quoque duplici *c: arecca.*

Arenaria, fc. herba, adiective. Sed iam Latinis fubftantive dictus eft arenarius, i, qui in arenam pugnandi cauffa defcendebat.

Arethusa, ae, producitur. Eft nomen et vrbium, et fontium et Nymphae in fontem verfae.

Argemone, es. F. producitur. ἀργεμώνη, dicta quod ἄργεμα oculorum et nebeculas expurget. Diofc. 2, 208. Plin. 24, 19.

Aria, ae. ἀρία, ας. (Crataegus). Arboris nomen Theophrafto.

Arietinum (Cicer) producitur.

Arisarum (Arum) corripitur. ἀρίσαρον Diofcor.

Aristida, producitur. Herbae nomen Plinio 27. fect. 63.

Aristolochia. ἀριστολοχία Diofcor. 3, 4, quod exiftimetur optime puerperis, feu partus doloribus opitulari. Plin. 25, 8: *ariftolochiae nomen dediffe gravidae videntur, quoniam effet ἀρίστη λοχούσαις.* Penultimam producendam effe probat Borrichius auctoritate Nicandri atque poetae apud Galen. I. *de antidot.*

Armo-

Armoracia (Cochlearia). Apud veteres legitur etiam Armoracea per ſecundam vocalem.

Arnica. Huius vocis originem nondum exploratam habeo. Quaedam lexica illam auctoritate Plinii firmant, qui nunquam arnicam nominavit. Primum legitur apud eos, qui materiam medicam expoſuerunt. Fehr in *Miſcell. nat. cur.* an. 1678 et 1679. obſ. 2, vbi *Arnicae montanae* virtutes commendavit, opinatus eſt, nomen corruptum eſſe e *Ptarmica;* quod ſi verum videtur, debemus penult. corripere. Subit interdum cogitatio, num ſit adiectivum ex ἀρνίον, agnellus, vt ſit planta agnina, ſed cur ita ſit vocanda noſtra Arnica, equidem ignoro.

Aronia (Crataegus) Dioſcor. 1, 169: *μέσπιλον τὸ δένδρον, ὃ παρ᾽ ἐνίοις ἀρωνία καλεῖται.*

Artemisia per T purum; non Arthemiſia per th. Graece ἀρτεμίσια, quaſi Dianina, ab Ἄρτεμις, Diana, Regina Halicarnaſſi, vxor Mauſoli, cui monumentum ſepulcrale, inter miracula mundi connumeratum, conſtituit. Plin. 25, 7.

Artocarpus, i. ab ἄρτος, panis, et καρπός, fructus, Brodbaum. Nomen, quod nuper increbuit, non bene femininum fecerunt botanici, cum καρπος ſit maſculinum.

Arum, i. Plin. 19, 5: *eſt inter genera bulborum quod in Aegypto aron vocant.*

Arun-

Aruncus (Spiraea) i. Vocabatur olim barba caprae, quod nomen Lin. mutavit in aruncum, conf. *Hortus Cliffort.* p. 463. Lexicographi perhibent, Latinos barbam caprarum vocasse aruncum, sed temere. Conf. quae annotavimus ad Antigoni Carystii *historias mirabiles.* pag. 166.

Arundo, dinis. F. non harundo, quia aiunt ab ariditate dictam.

Asarina (Antirrhinum) corripitur; est enim adjectivum ex Arum formatum. Conf. Lobelii *adversar.* p. 262. Ita ex amygdalus fit amygdalinus, ex amaracus, amaracinus, in quibus pen. corripitur.

Asarum, i. corripitur. Plin. 12, 13. Dioscor. 1, 9. ἄσαρον.

Ascyrum, i. corripitur. Plin. 27, 4. ἄσκυρον. Tournef. *institut.* p. 256. perhibet, nomen esse ex σκίρος, asperitas, sed σκίρος est caementum, gypsus.

Aspalathus, i. M. corripitur. ἀσπάλαθος. Plin. 15, 7.

Asparagus, i. M. corrip. Juven. 11, 69: *Asparagi posito quos legit villica fuso.*

Asperugo, inis. F. penultima nominativi producitur, sed genitivi corripitur. Plin. 26, 10. Dicta a foliis asperioribus.

Asperula, ae. F. nomen ex medio aevo, a fructu aspero dictum. Corripitur, vt omne deminutivum in *ulus*, *ula*.

Asphodelus, i. M. corripitur. ἀσφόδελος Diosc.

Asplenium. Sic botanici loquuntur, sed Graeci et Latini Asplenum, ἄσπληνον, herba ex qua fit medicina vitiis lienis, cuius pen. producenda est.

Aster, asteris, asteri. M. pen. corripitur. ἀστὴρ, ἀστέρος, stella. Plin 27, 5: *aster* — — *in cacumine capitula stellae modo radiata habet.*

Astragalus, i. M. corripitur. ἀστράγαλος. Plin. 26, 8.

Astrantia. Nomen est neotericorum botanicorum, ex ἄστρον et ἀντίος, adversus, obvius. *Philos. bot.* p. 183. Quod si verum est, debebimus T ante I non vt C aut Z pronuntiare, sed sicut in antiopa, politia et aliis Graecis. Voluit fortasse is, qui nomen conflavit, dicere, herbam astro similem, sed tunc debuit substantivum postponere. Sic Homer. *Iliad.* 1, 264. ἀντίθεος dicitur par deo, deo aequiparandus; ἀντιθέην ἄλοχον dixit poeta virginem divina virtute praeditam.

Astronium. Jacquin *stirp. americ.* p. 127: a calycibus in stellas novem linearis diametri expansis, ceu sidera formantibus varia, ἀστρόνιον ἀπὸ τοῦ ἄστρου, nominavi.

Athamanta. Dioscor. 1, 3. ἀθαμάντικον. Lin. *hort. Cliffort.* p. 93. Athamantam seu Athamanticam vocant, tanquam ab Athamante

inven-

inventam; alii vero quoniam in Athamante, monte Phthiotidis in Thessalia, reperiatur.

Athanasia. Nomen Linnaeanum. ἀθανασία, immortalitas.

Atractylis, atractylidis. F. corripitur. Ἀτρακτυλὶς, ίδος, ab ἄτρακτος, colus, fusus, quia feminae colos inde conficere solebant, auctore Dioscor. 3, 107. Plin. 10. in fine.

Atragene, es. F. Sed Theophrasto *hist*. 5, 10. p. 540. dicitur ἀθραγένη; ergo rectius dicimus Athragena, ae. Penultimam corripiendam censeo, sicut in ambigena, indigena, Diogenes. Cum botanici antiquiores athragenam Theophrasti Clematidis speciem putarunt, indidit Linnaeus illud nomen generi a Clematide quidem diverso, sed ei non absimili.

Atraphaxis, is. F. Colum. 11, 3, 42: *olus atriplicis, quod Graeci vocant* ἀτράφαξυν. *Hortus Cliffort.* p. 138.

Atriplex, atriplicis, penultima in quolibet casu corripitur. Colum. 10, 377: *Et gravis atriplici consurgit longa faselus.* Plinio est neutrum. 20, 20. S. 83: *atriplex et silvestre et sativum est.* Sed Macer 1, 24. dixit *atriplicem tritam cum nitro.* Ergo non temere botanici nostri vocem faciunt femininam. Colum. 11, 3, 42: *olus atriplicis, quod Graeci vocant* ἀτράφαξυν, quo de vocabulo Graeco conf. Vossii *etymol.* et Foesii *oecon. Hipp.* Festus auctor est, *Atriplexum* prius vocatum. Sic

dictum

dictum aiunt, quod comestum homines reddat atros. Vossius et alii censent corruptum esse vocabulum ex Graeco.

Atropa, penult. corrip. Nomen a Linnaeo impositum generi, quod Turnefortio vocabatur *Belladonna.* Furiarum vltima dicta Atropa, perhibetur in *Philosoph. botan.* p. 171, sed erravit praeceptor venerandus. Nulla furia ita dicta est. Sed vna e Parcis, natu maxima, non *Atropa*, sed *Atropos*, Ἄτροπος (Atropi) vocata est ab α et τρέπω, quod sit inexorabilis, nec ad cuiusquam preces vertatur. Putabatur filum incidere, seu finem vitae in potestate habere. Silius Ital. 4, 8, 18:

His senium longaeque decus virtutis et alba
Atropos, et patrius lauros promisit Apollo.

Confer. *Hortus Cliffort.* p. 57.

Aukuba. Nomen Japonicum, quod per Kämpferum innotuit.

Avellana (Corylus) producitur.

Axyris. Etymologiam nondum expiscari me potuisse profiteor. Xyris, idis. F. corripitur; est iris, gladiolus. Num α privat. praefixit more suo Linnaeus? quod si factum est, etiam in axyris penultimam corripere debemus.

Azalea. ἀζαλεῖος s. ἀζαλέος, siccus, aridus. A solo natali nomen derivatum dicitur in *philos. botan.* p. 185. et in *Flora Lappon.* p. 57. Pen. anceps, cum graece sit ει atque ε simplex.

Azaro-

Azarolus (Crataegus). Italis *Azarolo*, Gallis *Azerole;* nomen quod ex arabico Avicennae *Al zaror*, i. e. aviditatem ad cibum incitans, confictum creditur. Solemus illud producere.

Azedarach et Acidarachta (Melia), vox Arabica, quam in Avicennae canone medic. edito Venetiis 1608. fol. Azadarach ſcriptum video.

Baccharis, is, f. Baccar, aris, βάκχαρις. penultima correpta. Virg. *ecl.* 4, 19: *Errantes hederas paſſim cum baccare tellus.* De herba veterum conf. Foeſii *oeconom. Hippocr.* p. 118.

Ballote, es. F. βαλλωτὴ. producitur. Herba iam a Dioſcor. ac Plinio commemorata.

Balsamina, ſc. herba (Impatiens et Momordica). βαλσαμίνη. Corripitur. Dicitur, inquit Bauhinus, quod ex pomis ipſius immaturis oleo iniectis, inſolatione oleum ſeu balſamum, vt chirurgi vocant, ad vulnera conſolidanda praeſtantiſſimum conficiatur.

Balsamita, ae (Tanacetum et Chryſanthem.) producitur, ſicut derivatum quodcunque in *itus* ex aliis nominibus.

Balsamum (Toluifera). Non diſplicet, inquit Borrichius, quod aiunt, ſic ob praeſtantiam vocari, quaſi baal-ſchemen, i. e. princeps ſive dominus olei, de quo prolixius Voſſius in *etymol.* Latini quidem penult. corripuere. Martial. 3. 63: *Balſama qui ſemper, cinnama*

ſemper

ſemper olet. Nicander tamen Graeco verſu heroico, tum in *Theriacis*, tum *Alexipharmacis*, penult. manifeſte producit. Andromachus ſenior, Neronis archiater, carmine elegiaco pen. iam produxit, iam corripuit, vt apud Galenum videre eſt in libro *de Theriaca ad Piſonem.* Haec Borrichius.

Bambus, aliis Bambu (Arundo). Nomen per Luſitanos innotuit ex India orientali.

Barbaraea (Eryſimum et Siſymbrium), i. e. herba ſanctae Barbarae, noſtratibus St. Barbarakraut.

Bardana. Nomen Dodonaeo vſurpatum, ſub quo in officinis radices, folia et ſemina Arctii Lappae veneunt. Dicta videri poteſt, ait Borrichius, a *bardo*, quae vox inter alia cantorem et poetam deſignat, vt in *Etymol.* demonſtrat Voſſius, et in *Lex. phil.* Martinius. Et certe cantores in comoediis lappae huius foliis faciem obvelabant, ne agnoſcerentur ſpectatoribus, vnde *perſonatam* dici conſtat, et Graecis *προσώπιον*. His natalibus ſi inſiſtendum, pen. producet, genitivo plurali, et analogia ſuadentibus; bardorum enim et bardarum flexus bardanam longam efflagitat, vt a quintus quintorum et quintarum facit quintanam. Ita a primus primana, a ſeptimus ſeptimana, a quartus quartana. Hactenus Borrichius. Conf. v. *Arctium.*

Barometz (Polypodium). Bara in Tataria eſt agnus. Fabula de agno Scythico, quam pri-

 mus

mus evulgavit Kircherus, ſatis iam exploſa eſt. Inde ingenium Linnaei nomen indidit herbae, cuius radix piloſa, ſeu lana veſtita eſt, agnum quodammodo refert atque adeo, quando vulneratur, humore cruento, ſanguini animalium ſimillimo, manat; quae omnia comprobavit Loureiro in *Flora Cochinchin.* pag. 675.

Basella. Nomen Malabaricum, quod, cum latinam indolem habere videatur, ſervavit Lin. Conf. *philoſ. bot.* p. 155 et 166.

Basilicum (Ocimum). Pen. corrip. vt cetera adiectiva Graeca in *ικος*, *γαμματικὸς*, *κυκλικὸς*, *κϱιτικὸς*, ſic *βασιλικὸς*. Graeci recentiores ὤκιμον *βασιλικὸν* appellavere, a *βασιλικὸς*, dominus.

Batatas. (Convolvulus). Hiſpanicum nomen, de quo conf. Cluſii *hiſt.* 4, 51. p. LXXVII. Producitur.

Bauhinia. A duobus fratribus Bauhinis huic generi indidit nomen Linnaeus, vt eſſet ſubſidium mnemonicum, cum totum genus habeat folia cordato-biloba.

Beccabunga (Veronica). Ex Germanico Bachbungen ſ. Beckbungen. Beck, cum e producto (ſicut η Graecorum pronuntiamus), eſt idem quod Bach, rivulus. Bungen vero dicitur corpus inflatum, ſigillatim tympanum; vnde tympanites, morbus, nobis dicitur Bungenſucht. Etiam Belgis iſta herba vocatur: Waterpungen.

Behen

Behen (Cucubalus et Centaurea). Nomen arabicum Serapioni, de quo conf. Rauwolfii *itiner.*

Bella donna (Atropa). Pulcram mulierem Itali hanc plantam nominarunt, quod ea vtuntur ad fucum; auctore Tournefortio. Amaryllis vero idem cognomen obtinuit ob pulcritudinem florum.

Bellidiastrum (Doronicum), quoniam bellidis species potest videri, nisi habeat pappum.

Bellis, idis. F. iam Plinio 21, 8 dicta. Inde, ni fallor, nominatum est genus *Bellium*, quod ad Bellidis affinitatem proxime accedit. Belio pro Bellis legitur apud Apulej. *de herbis.*

Benzoin (Laurus), vox peregrina est, eoque incertae nobis pronuntiationis, quam libet tamen in pen. corripere, vt aloe, ob vocalem ante vocalem. Benzoinum s. belzoinum oleum pen. corripiet, ad naturam caeterorum adj. in *inus* ex inanimatis descendentium. Borrichius.

Berberis, is, im. F. media corripitur, vt in verberis, piperis, Tyberis. Nomen novum a Mauritanis acceptum occurrit in glossis iatricis graeco barbaris, *βερβέρης*, et apud scholiastem Nicolai Myrepsi. Vide eundem Myrepsum *de antidot.* cap. 24. 457. *de vnguentis* cap. 50. *de pastillis* cap. 65 et passim.

Beta, quoniam figuram litterae graecae *β*, dum semine turget, referre videtur. Colum. 10, 251: *Nomine tum Graio, ceu littera proxima*

 primae,

primae, Deprimitur folio viridis, pede candida beta.

Betonica. pen. corr. Q. Serenus 46: *Betonicam ex duro prodest assumere Baccho.* Dicitur et Vettonica, a Vettonibus Hispaniae populis, qui invenerunt. Plin. 25, 8 et 9.

Betula. corrip. vt caetera diminutiva in *ula*, assula, bucula, sportula. Dicitur vel quasi πετάλη, folium; vel a batuendo i. e. caedendo, vel a Celtica voce Bedu. v. Voss. *etymol.* Plin. 16, 18 et 27.

Betulus (Carpinus) corripitur. Plinio 37, 9. p. 785. est ceranniae lapidis species. Botanici vero, quibus in fingendis nominibus quidlibet audendi, aequa poetis et pictoribus, potestas, ex Betula non dubitarunt conficere adiectivum, quasi betulus, a, um.

Bidens, entis, quasi planta semine bidentato. Nomen primus imposuit Caesalpinus *de plantis* lib. 12. cap. 17.

Bigarella (Cerasus), ex Gallico bigarreau "— — fruit qui a été ainsi appellé, à cause „qu'il est bigarré de rouge, de blanc et de „noir." *Diction. de Trevoux.*

Biscutella, dicta a Linnaeo ob fructum quasi scuto duplici praeditum. *Phil. bot.* p. 166.

Biserrula dicta a fructu biserrato.

Bistorta, a radice bis vel ter intorta. Nomen novum.

Bixa, nomen americanum. Conf. Waarenkunde 1. p. 205.

Blattaria, ae (Verbascum). *Abiecta*, inquit Plin. 25, 9, *blattas in se contrahit, ideoque Romae blattariam vocarunt.*

Blechnum. Plinio 27, 9. est blechnon filicis genus.

Blitum, factum putatur a Graeco βλάξ, quod stupidum significat, vel a βλητὸν, reiiciendum. Plin. 20, 22: *blitum iners videtur, ac sine sapore aut acrimonia vlla. Vnde convicium feminis apud Menandrum faciunt mariti.*

Boletus, i. producitur. Juvenal. 5, 147: *Boletus domino, sed qualem Claudius edit.*

Bombax, acis. produc. factum e veterum Bombyx, ycis, quod etiam producitur, et ex Oriente est. Conf. Salmas. ad Solin. p. 209. et Vossii *etymol.* atque etiam, si operae pretium videtur, Waarenkunde 1. p. 42. At bombycinum corripitur.

Borago, ginis. Pruduc. Est nomen medii aevi, de quo disputavimus in *Histor. inventionum* 5. p. 114. vbi primum, qui eo vsus sit, putavi Nicolaum Myrepsum, scriptorem saeculi 13. aut 14, qui plantam vocavit πουράκιον. Iam vero nomen reperi in libello *de compositione medicamentorum*, cuius auctor creditur Joannes Aegidius, qui saeculo duodecimo vixit, etsi sint, qui eum ad saeculum septimum referant. Videsis Leyseri *hist. poet. med. aevi* p. 500 et

 p. 516.

p. 516. verſ. 303: *Antophylus*, *borago*, *humus*, *lignum pretioſum*.

Borassus. Dioſcoridi 1, 151. eſt βούρασσος vel βόρασσος fructus palmae arboris.

Botrys, botryos, botryn F. βότρυς, υος. Fortaſſe eadem, quae botrus, i. Nomen accepit a ſemine, quod racematim ramulis adnaſcatur, ſive quod plura eius ſemina caulibus ſic conferta pendeant, vt racemi in uva referant imaginem. Conf. Bodaeus ad Theophr. p 827. Ruellius p. 558.

Bovista (Lycoperdum), vocabulum e noſtra lingua in latinam traductum. Scribitur Boſiſt, olim Pfoſiſt. Fiſt ſ. Fyſt eſt hiatus ventris, crepitus; fyſten, pedere. Vid. Richey *idioticon Hamburg*. p. 57. ſed de ſyllaba priori dubitatur. Sunt qui ſcribant Bubenfiſt. Gallis: veſſe de loup. Veſſir ſ. veſſer Gallorum convenit cum Germanico verbo obſoleto Phyſen, i. e. ſtridere, ſibilare. vid. Maalers Teutſchſprach.

Brabeium. Sic novum herbae nomen ſcripſit Linnaeus auctor, ſed haud dubie cogitavit illud victoriae praemium in ludis Gymnicis, atque idcirco ſcribendum eſt brabeum vel brabium, pen. producta, cum Graecis ſit βραβεῖον. Conf. *hortus Cliffort*. p. 63, vbi herba vocatur Florae brabejum, voluit ſcribere brabeum.

Brassica, ae. corripitur.

Bra-

Brathys. Plin. 24. sect. 61. p. 342. *herba sabina*, ait, *brathy appellata a Graecis.* Dioscor. 1, 104. βϱάϑυς.

Brignola (Prunus) producere solemus. *Diction. de Trevoux:* "Brignole, espece de prune excel„lente qu'on seche, et qu'on envoye à Paris „de la ville de Brignoles en Provence."

Briza, ae. βϱίζα. Frumenti genus, de quo multus est Galenus. Conf. Bauhini *theatr.* p. 415. Latinis nomen non fuit vsitatum.

Bromus, i. M. βϱῶμος. Plinio Bromos, i.

Browallia. Joannes Browallius primum magister Upsaliensis, postea episcopus Aboensis. Quid in caussa fuerit, cur huic plantae Linnaeus istius viri nomen indiderit, id ipse mihi ita commemoravit. Solebat Browallius eum, quo cum colloquebatur, quasi ab imo ac limis oculis adspicere, atque in habitu huius plantae nescio quid simile animadvertere sibi videbatur Linnaeus. In iuventute fuit Browallius bene moratus atque modestus, sed postquam episcopatu fuit ornatus, magis magisque factus est superbus, et tandem in disputatione de maris incremento vel decremento ita se gessit, vt fere stupidus esse videretur. Hasce commutationes animi etiam tres species huius generis habitu suo exprimere videbantur Linnaeo, quas etiam cognominibus indicare voluit, cum vnam *demissam*, alteram *elatam* atque tertiam *alienatam* dixerit. Condonemus praeceptori has facetias, quas ad artem memoriae refere-

bat. Scilicet hoc illud eſt, quod praecipit Quintilianus XI, 2. p. 556, vt memoriam ab aliquo ſimili transferamus ad id, quod continendum eſt.

Bryum. Plinio bryon.

Bryonia. Graecis βρυωνία, a voce βρύω, germino, pullulo, quod abunde pullulet.

Bryopteris (Lycopodium) Compoſitum videtur ex βρύον, muſcus, et πτέρις, ιδος, filix. Ita exiſtimo, quia Plukenetio dicitur: muſcus filicinus ſeu bryopteris. Ideo pen. corripienda.

Bubon, onis. M. producitur. Βουβὼν, ῶνος, inguen. *Philoſ. bot.* p. 181. Plinio herba quaedam dicta eſt *bubonium.*

Buceras, correpte (Bucida). βουκέρας, lexicographis vocatur foenum graecum. Plin. 24, 19. Buceratis corripitur.

Bucida ſ. bucaeda, ae. vtrumque producendum. Dicitur qui caeditur loris bubulis.

Bufonia. Sauvage mittebat Linnaeo variis officiis ſibi dudum obſtricto flores huius plantae, quam ipſe Buffoniam appellaverat, rogans, ne nomen abrogaret. Sed Buffon, obtrectator laudum Linnaei, et iniuſtus ſyſtematis aeſtimator, botanicis ſtudiis ne imbutus quidem erat, quod ſatis comprobatum eſt a Maleſherbes in *Obſervations ſur l'hiſtoire naturelle de Buffon*, cuius libri praeſtantiſſimi notitiam dedimus in Phyſikaliſch-ökonomiſcher Bibliothek XXI. p. 284. Quapropter cum Linnaeus nolebat adverſa-

versarium botanicis inserere, et nihilo secius precibus Sauvagesii satisfacere cogebatur, vt Gallorum evitaret invidiam, haud sine aliqua malitia, non Buffoniam, sed Bufoniam scribebat plantae nomen, tanquam F simplex per errorem irrepsisset; sed volebat hoc modo posteris praebere ansam existimandi, nomen traxisse illud genus a bufone, animali foedo et turgido. Haec a me relata ab ipso praeceptore accepi.

Buglossum s. buglossus, βούγλωσσος, buglossus, boum linguae similis. Plin. 25, 8. Dioscor. 4, 128. Conf. Vossii *etymol.*

Bugula corrip. Tournef. p. 209. auctor est, ita appellari a voce gallica *Bugle.* Equidem existimaverim, *bugle* Gallorum factum esse e latino, cum lingua Gallica nihil habeat, vnde possit hoc *bugle* derivari. Ne Martinius quidem ausus est, coniicere vocis originem, monuit tantum, vocari etiam *buglum.*

Bulbine, es. F. Pen. produc. A Plinio 20, 9. sect. 41. accepit Linnaeus nomen, imposuitque herbarum generi, quod postea reduxit ad Antherici genus. Conf. *Hortus Cliffort.* p. 123.

Bulbocastanum (Bunium). βολβοκαστάνιον, cuius Trallianus lib 7. cap. 2. meminit, a radicis figura et sapore castaneas exprimente nomen habet. Bauh. *pin.* p. 162. Corripitur.

Bulbocodium. In *philos. bot.* p. 182. perhibetur nomen factum ex βολβὸς, bulbus, et κώδιον,

 lana.

lana. Sed κώδιον est pellis, vellus. Κώδιον legitur apud Theophr. et *Codiaminon* Plinio 21, 11. est herba, cuius flos est codion.

Bunias, buniadis. F. corrip. Plin. 20, 4. Dioscor. 2, 103: βουνιας et βουνιον, ex βουνὸς, collis, tumulus, acervus. Conf. *hortus Cliffort.* p. 340.

Bunium, i. Plin. 20, 4. duas napi species facit, quarum altera bunion, altera bunias vocatur. Illud nomen Lin. inde recepit, conf. *Hort. Cliffort.* p. 92.

Buphthalmum, ex vocibus Graecis βοῦς, bos, et ὀφθαλμὸς, oculus; quasi diceres oculum bovillum. Flores enim, ait Dioscor. 2, 156. habet melinos, oculorum similitudine, vnde et herba nomen traxit.

Bupleurum, βούπλευρον Hippocrati et Nicandro in *Theriacis*. A vocibus Graecis βοῦς, bos, et πλευρον, costa; quod boves ea commesta rumpi existimarint; vnde bupleuron a buprestí apud Plin. 22, 22. non differre videtur, et ipsum nomen, inquit Plin. indicio est boum certe venenum esse, quod dissilire degustata fatentur. Alii tamen volunt Plinii buprestim insectum esse, non plantam. Tournef. p. 310.

Butomus, i. corrip. Hesych. βούτομον φυτὸν βουσὶ διδόμενον τροφὴν οἷον χόρτος, i. herba, quae alimentum dat bobus tanquam gramen. Hinc nomen Ruellio auctore accepit. Eius mentio fit quoque in *Geopon.* 2, 6, 28.

Buxus,

Buxus, i. F. Graece πυξὸς et πυξὸν pro arbore et ligno. Conf. Martinii *lex.* et Voſſi *etymol.*

Byssus, i. βύσσος.

Cacalia, ae. nomen herbae Dioſcoridi et Plinio. Conf. *Kleinia.*

Cachrys, yos. plur. cachryes. F. pen. corripitur. Plinio 16, 8. ſunt oblonga panicularum modo nucamenta, quae ſquamatim compacta propendent e ramis. Sic lexicographi.

Cactus, i. F. κάκτος, herba ex carduorum genere, teſte Plinio 21, 16. ſect. 57. Conf. Voſſi *etymol.*

Calamagrostis, is. F. (Agroſtis et Arundo), legitur apud Dioſcor. 4, 31. p. 255. ſed apud Latinos veteres non reperitur.

Calamintha, ae. a vocibus Graecis καλὸς, pulcer, et μίνθη, mentha, quaſi pulcra mentha; nidore enim ſuo, vt docet Ariſtophanes, ſerpentes, vel accenſa, vel ſubſtrata, vt ait Dioſcor. 3, 43. fugare ſolet.

Calamus, i. M. corripitur. Virg. *eclog.* 5, 2: *Tu calamos inflare leves, ego dicere verſus.*

Calcitrapa (Centaurea). Ruellius 3, 84. p. 587: "vulgus chaucetrepam vel calcatrepam „vocat, quod cacumen veluti muricibus, quas „vulgus appellat calcatrepas, muniat, et ſpina„rum aculeis inſigniter armetur; cet." Eſt igitur e Gal-

e Gallico *chausse-trapes*, i. e. murex ferreus, Fußangel. Italis herba dicta calcatreppo, calcatreppolo, calcatrippa. Penultimam producendam censeo.

Calendula, ae. herba singulis calendis florescens. Sic lexicographi, sed sine auctoritate idonea. Pen. corripitur.

Calla, ae, herbae nomen Plinio 27, 8. sect. 36. vbi Hard. legit Calsa.

Callicarpa, ex καλὸς, pulcer, et καρπὸς, fructus. Sed ideo rectius dicatur callicarpus, vti Heliocarpus, Conocarpus. Καλλίκαρπος Graecis est: pulcros aut bonos fructus habens.

Calligonon, Plinio 27, 12. genus est poligoni, quod ita appellari ait a multitudine seminis aut densitate fruticis. At facile haec nominis ratio haud intelligitur, cum γόνυ, γόνατος, sit genu, internodium; quare Harduinus p. 436. callipogon, καλλιπώγων, habens pulchram barbam, legendum censet. Penultima in Calligonon corripienda, sed in Callipogon producenda.

Callitriche, es. Plinio quidem 26, 8. callitrichon, i. N. herba est, quod capillum nutriat et pulchrum reddat. θρὶξ, τρίχος, capillus.

Callophyllos, i. duplici L, est pulcris foliis praedita herba. Habet enim *Cal. calaba* folia pulcerrime transversim striata.

Calo-

Calodendrum. Nomen recens. καλὸς, pulcer.

Calycanthus a κάλυξ, calyx, et ἄνθος, flos, ob foliola calycis, quae petala eſſe videantur, cum flos petalis careat.

Camara (Lantana). Cum Pluken. librum prae manibus non habeam, neſcio, num ſit nomen ex America, an e Graeco καμάρα, ας, camera, tectum, vel tectum habens. Certe quidem pen. corripienda.

Camocladia. Verbi originem nondum inquiſivi. Num ex κάμαξ, ακος, palus, an e Camacum, quod Plinio cinnamnm eſt, et e κλάδος, ramus?

Camphora, ae. corripitur. Graeci recentiores appellant καμφορὰν. Gummi-reſina Dioſcoridi incognita, cuius prima mentio eſt apud Aëtium et Simeon. Sethi p. m. 59, quibus vocatur καφουρὰ e nomine Arabico. Conf. Martinii *lexic. philol.* et Salmaſ. *de homonymis.*

Camphorosma, ae. ὀσμὴ, odor. Herba odore camphorae praedita. Male quidam ſecundum caſum faciunt Camphorosmatis.

Canela, i. e. cinnamomum. Media producitur et plerumque ſcribitur *canella*, quaſi cannula, cannella, h. e. συρίγγιον. Nam canna eſt fiſtula. Conf. Salmaſ. ad Solin. p. 283. Apud Myrepſum legitur κανέλα. Vide hanc vocem in Du Cange *gloſſ. graecit.* et in *gloſſ. latino.* At *Dictionnaire de Trevoux:* "Ce mot, can„nelle, peut venir du Latin *canna*, parce„qu'on

„qu'on nous apporte la cannelle en forme de „canne. Mais le plus ſur eſt de tirer ce mot „de l'Hebreu *cane*, qui ſignifie la même choſe „que *calamus aromaticus* parmi les Latins."

Cannabis, is. F. corripitur. Ablativus eſt cannabe apud Perſ. 5, 146: *Tibi torta cannabe fulto Coena ſit in tranſtro.* Sed Plin. 19, 2. habet funes e cannabi. Accuſativus cannabim eſt Varroni de R. R. 1, 23, 6.

Cantabrica (Convolvulus). Herba a Cantabris reperta. Plin. 25, 8. Pen. corrip. Sic Horat. *ep.* 1, 18, 55: *Militiam puer et Cantabrica bella tuliſti.*

Cantharellus (Agaricus). Quodſi diminut. eſt, i. e. parvus cantharus, rectius dicatur cantharulus, quod legitur apud Arnobium. Cantharus, i. M. corripitur.

Capparis, is. F. corripitur. Accuſat. capparin. Martial. 3, 77: *Capparin et putri cepas alece natantes.* Conf. Waarenkunde 1. p. 110.

Capsicum. Actuario καψικὸν, a κάπτω, mordeo, quod ſemen comeſtum mordeat, immo adurat.

Carambola (Avarrhoa) vox Indica corripiatur.

Cardamine, es. Dioſcor. 2, 156. p 142: καρδαμίνη. Apul. *de herbis* 20: *cardamina, quaſi herba ad cardamum accedens.* Pen. corripitur, quam tamen Borrichius producit. *Cardamon*, κάρδαμον, corrip. ſed *cardamomum*, καρδαμώμον penult. producit.

Car-

Cardiaca, ae. Corrip. Herba morbo cardiacae opposita ex καρδία, cor. Cardiacus, a, um, adiective.

Cardiospermum a καρδία, cor, et σπέρμα, semen. Rectius quidam botanici saeculi 16. vocarunt cardispermum sine o, quod supervacaneum est.

Carex, icis. F. correpte. Virg. *Georg.* 3, 231: *Frontibus hirsutis et carice pastus acuta.*

Carica, ae. Patronymicum primo ficus optimae; deinde pro omni ficu praesertim arida dici coepit. Corrip. Ovid. *metam.* 8, 674: *Hic nux, hic mixta est rugosis carica palmis.*

Carlina, producitur, quasi carolina, quod credant, ait Bauhin. *pin.* 388, hanc herbam Carolo M. ab angelo demonstratam fuisse, tanquam certissimum remedium ad pestem ab exercitu propulsandam.

Carota (Daucus) producitur. Gallis carotte. Quo de vocabulo disputavimus in *Histor. inventionum* 5. p. 137.

Caroxylon. Nomen a Thunberg. introductum. Num a κάρος, sapor?

Carpesium, καρπήσιον, aromatis genus apud Galenum, de quo conf. Salmas. ad Solinum.

Carpinus, i. M. corripitur. Plinio arbor 18, 11. Colum. 5, 7.

Carthamus, rectius sine aspiratione Cartamus. Nam nomen mutuatum est ab Arabibus seu

Mauri-

Mauritanis, quibus *kartom*, *kartam*, *kortom* dicitur; etsi sint, qui temere dicant vocari ἀπὸ τοῦ καθαίρειν, quod est purgare. Mediam corripere solemus, vti in *thalamus*, *balsamum;* quamquam nomina in *amus* ex Barbaris producantur, sicut *Adamus*, *Abrahamus*, sed haec sunt nomina propria.

Caryophyllus per duplex y; in Graeco enim est τὸ καρυόφυλλον, ex καρυον et φύλλον, q. d. nucis folium. Sed veteres dixerunt caryophyllum. N. Dianthus caryoph. veteribus ignotus fuisse videtur, quod recte censent Ruellius ac Dodon. Nec enim, si scissent, verisimile est, fuisse neglecturos, cum facile inter flores primas teneat post rosam.

Caryota, ae. F. καρυωτὸς φοῖνιξ, dactylus, fructus palmae. Producitur. Mart. 13, 27: *Aurea porrigitur Jani caryota calendis.*

Cassia et Casia, vtrumque. Conf. omnino Vossii *etymol.*

Cassine. Nescio, an sit nomen cassina, quod in medio aevo idem erat, quod casula, tugurium, vnde Italis *cassina*, Gallis *cassine* in vsu est. Vid. Du Cange. A plerisque producitur, sicut aparine, nerine, adrastine.

Cassytha. Vox dubiae originis; Graecis recentioribus κασσύθα, quae et cassytha et cascuta et cassuta, atque adeo cuscuta scribitur, penultima vtique correpta. Ruellius p. 445: "Plinius in calce decimi sexti voluminis herbae „memi-

„meminit, quae vt viſcum in aliena ſtirpe „vivit. Haec in Syria vocatur caſſytas, non „tantum arboribus, ſed ſpinis convolvens ſeſe. „Eandem eſſe, vel certe proximam, fidem fa„ciunt cum recentiores Graeci, tum medici „factionis Arabicae principes, qui quadam vſi „linguae germanitate *caſſutham*, vnde *cuſcuthae* „vocabulum neoterici videntur declinaſſe, no„minant, herbam fruticibus, herbis et arbori„bus adhaerentem; cetera." — Sed Harduin. apud Plin. 16. ſect. 92. p. 41. habet *cadytas*, et ſic etiam Theophr. 2. *de cauſſis* 23. p. 259. καδύτας. Attamen edit. Plinii anni 1507. p. 119. b. habet caſſetias et caſſycas. Heſychius: κασύτας, συριακὸν βοτάνιον. Gesner. in Fabri lexic. auctoritate Matthioli κασσύταν Plinio falſo tribuit.

Catanance, es, en. Plin. 27, 8. ſine *h* ſcribitur. Dioſcoridi 4, 134. καταναγκη.

Caucalis, idis. F. vtrumque corripitur. Plin. 20, 22. Dioſcor. καυκαλὶς.

Ceanothus, i. F. producitur. κεάνωθος.

Cecropia fuit arx Athenis et dicitur pro Attica regione, ſed cur hoc nomen huic generi herbarum inditum ſit, ignoro.

Cedrela. Num ex *cedrelate*, es. F. contraxit Linnaeus nomen? Plukenetio dicitur arbor Cedrus Barbadenſium. Plin. 24, 5: *cedrus magna, quam cedrelaten vocant.* κεδρελάτη. In cedre-

 late

late penultima et antepenultima corripiuntur, ergo etiam Cedrelam corripiendam censeo.

Celastrus, i. κηλάστρος Theophrasto *hist.* 1, 6. arbor dicitur.

Celtis, i. Plinio 13, 17. arbor Africae.

Cenchrus, i. M. Dioscoridi 2, 119. milii genus.

Centaurea, penult. producenda, κενταυρεία. Poetae amant *e* in penultima; aliis plerumque dicitur centauria, centaurion, centaurium, pen. semper producta. Virg. *georg.* 4, 270: *Cecropiumque thymum, et grave olentia centaurea.* Ergo etiam nomina trivialia: *Centaurea centaurium* ac *Gentiana centaurium* pen. producunt. Nomen est a Centauro Chirone, Plin. 25, 4. sect. 14 et 6. sect. 30 et 31, quod etymon approbat Palaephatus. Quod cum ita sit, falso creditum est olim, plantam habere nomen a centum aureis, vnde nostratibus hodieque dicitur Tausendgülden Kraut.

Centunculus, nomen iam Plinio 24. sect. 88. p. 348. vsitatum.

Cepa, ae. F. (Allium) et cepe s. caepe. N. indeclinabile. Olus dictum, quod capitis similitudinem habeat, vel quod in caput crescat. Vid. Vossii *etym.* p. 88.

Cephalanthus, nomen a Linnaeo ex ἄνθος et κεφαλὴ, caput, compositum, vt sit flos capitatus. *Hort. Cliffort.* p. 13.

Cera-

CERASTIUM. κέρας, cornu. A capſula nomen accepit id genus, quae duo cornua habet. Iam vero nomen non omnibus ſpeciebus convenit, poſtquam quaedam innotuerunt, quae capſulam ferunt globoſam.

CERATOCARPUS ex καρπος, fructus, et κέρας, cornu, ob figuram ſeminis. Nomen novum.

CERATONIA ex κεράτιον, ſiliqua et corniculum. Columellae *ceratium*, ſed Aeginetae κερατώνια, quaſi ſiliqua cornuta.

CERATOPHYLLUM. φύλλον, folium, κέρας, cornu.

CERBERA, corripitur. Nomen arboris venenatae, teſte Lin. in *philoſ. bot.* p. 170. deductum eſt a cerbero, cane infernali, quaſi ſit femineum, ſicuti *aſina*, aut quaſi *cerberus*, *a*, *um*, ſit adiectivum, pro quo Latini dixerunt cerbereus, a, um.

CERCIS, nomen arboris populo affinis apud Theophraſt. *hiſt.* 3, 4. De etymo diſputavit ibi Bodaeus p. 219. κερκὶς, ἴδος, eſt radius textorius ſ. pecten.

CEREALE (Secale), quod ad Cererem pertinet. Per *e* in vulgatis libris, quam hodie ſcripturam fere ſequimur. Nummi ac lapides et meliores codices habent cerialia.

CERINTHE, es. Latinis Cerintha, herba apibus grata. Nomen ex κηρὸς, cera, et ἄνθος, flos, quod ad ceram conficiendam conferat. Sed *cerinthus*, *i.* M. Plinio XI, 7. eſt apum cibus,

 de

de quo actum est a nobis ad Aristot. *auscultat. mirabiles* cap. 15. p. 41.

Ceropegium. κηροπήγιον, candelabrum, vbi cerei figuntur. Nescio, quis primus in botanicam linguam introduxerit.

Cerris (Quercus). Apud Plin. 24, 4. et Pallad. 1, 9. legitur Cerrus, species arboris glandiferae.

Cerviana (Pharnaceum). Minuartius, medicinae doctor in Hispania, descripsit hanc plantam in vna pagina separatim edita, tanquam ipse primus esset inventor, vocavitque eam Cervianam ab archiatro regis, qui tunc florebat. Hanc Minuartii descriptionem, cuius neque in Halleri, neque in Dryandri *catalogo bibl. Banks* mentio facta est, misit Loefling Linnaeo. Haller suspicabatur esse speciem Ortegiae; at iuvenis quidam botanicus, Burghard, inveniebat plantam eandem Rostochiae, mittebatque semina Linnaeo, qui tunc cognoscebat, esse speciem Pharnacei; nihilominus Cervianum nomen reliquit Linnaeus speciei.

Cestrum. Derivatur in *phil. bot.* p. 181. a κέστρα, malleus, male quidem; est enim cestrum Plinii, κέστρον, instrumentum acutum, quo cavatur ebur.

Ceterach (Asplenium). Salmas. ad Solin. p. 913. a. censet, factum esse ex πτέρυξ, πτέρυγα, quod Dioscoridi est synonymum Asplenii.

nii. Mihi quidem non verisimile videtur. Videant eruditiores.

Chaerophyllum. χαίρω, gaudeo, φύλλον, folium; quasi planta foliis gaudens. Columella 10, 110. habet chaerophylum per o et l simplex; sed lib. 11, 3: chaerephyllum per e et l duplex.

Chamaecistus (Rhododendron), i. e. cistus humilis. Nam nomina composita ex χάμαι seu χαμάζε seu χαμάδις, quod significat *humi*, ab humili statura herbarum dicuntur.

Chamaecyparissus (Santolina), humilis cyparissus iam Plinio dicta.

Chamaedrys, yos. corripitur. (Veronica et Teucrium). Plin. 24, 15. i. e. quercus humilis, quod habeat folia, quae sunt τῇ σχίσει δρυὶ ὅμοια.

Chamaelaea (Tragia). Graecis χαμαιλαία, a similitudine foliorum oleae. Ergo etiam in penultima habet *ae*, et sic quoque apud Plinium.

Chamaemoly (Allium), i. e. moly humile.

Chamaepeuce (Serratula) Plin. 24, 15. est herba, quae folia habet laricis foliis similia. πεύκη itaque Plinio est larix.

Chamaepitys (Teucrium), yos. F. corripitur per omnes casus. πίτυς, υος, pinus. Humilis pinus iam veteribus dicta.

Chamaerops, opis. F. corripitur. χαμαίρωψ, χαμαίδρωψ et χαμαίδρυς, quercus humilis, veteribus synonyma esse videntur.

Chamaesyce, es. F. (Euphorbia). σύκη, ficus humilis Plin. 24, 15. producit penultimam.

Chamomilla (Anthemis), rectius chamaemelum, μῆλον, pomum, quasi pomum humile. Nonnullae chamaemeli species, inquit Tournefort, redolent pomum. Chamaemelum Plinii, χαμαιμήλον, penultimam producit. Attamen *chamomilla* iam Macer 1, 15. habet, quo nomine postea Tragus, Lonicerus aliique vsi sunt.

Chara, ae. Ita Caesari de B. C. 3, 48. dicitur genus radicis, de qua voce conf. Vossius ad h. l. Conf. quoque Plin. 19, 8.

Characias, ae. (Euphorbia). M. χαρακίας. Plinio 26, 8. sect. 39. et 14. sect. 87. est genus tithymali. *Amoen. acad.* 3. p. 102.

Cheiranthus. ἄνθος, flos, χεὶρ, χειρὸς, manus. *Philos. bot.* p. 177.

Cheiri (Cheiranthus). Indeclinabile. Videtur prima antecedentis nominis syllaba esse, quasi sit ex χεὶρ, sed vox est arabica, auctore C. Gesnero in *Hortis German.* p. 264. a.

Chelidonium et chelidonia Plin. ex χελιδὼν, hirundo, quasi dicatur hirundinis herba. Creditur chelidoniae nomen sibi vindicasse, vt ait Dioscorides, quod primo statim hirundinum adventu erumpat, earumdemque discessu marcescat.

cescat. Sunt qui tradiderint, si quis ex hirundinum pullis excaecatus fuerit, matres admota herba illius caecitati mederi, adeoque visum restituere. Haec Tournefort. p. 231. Conf. si tanti videtur, quae disputavimus de hoc argumento ad Antigoni Carystii *historias mirabil.* cap. 78. p. 126. et ad Marbodi librum *de gemmis* p. 160. Denique liceat, oblata occasione, comprobare chelidoniam a veteribus contra caliginem oculorum laudatam, esse eandem herbam, quae hodie chelidonium vocatur. Etenim Galenus *de simplicibus medicamentis*, auctor est, habere illam succum quasi croceum. Vid. edit. Gesneri inter spurios p. m. 82. A.

Chelone, es. producitur. χελώνη, testudo. Nomen apud veteres desideratur, sed *chelonium* Apulejo herba dicta est, et *chelonia, ae*, est lapis, vel gemma, de qua Plin. 37, 10.

Chenopodium. πους, pes. χὴν, anser. Pes anserinus. Nomen recens. Plinio herba quaedam vocata est chenopus, odis; vtrumque corripit penultimam.

Chiococca ex χιὼν, nix, et κόκκος, granum, quia fructus huius plantae colore niveo est.

Chionanthus. χιὼν, nix, quia solum, albis petalis caducis, quasi floccis nivis obtectum videatur. Auctor nominis est Royen. Conf. *hortus Cliffort.* p. 17.

Chironia. Ob magnam similitudinem, quam quaedam species habent cum Centaurea, no-

men hoc genus accepit a Centauro Chirone, de quo conf. Fabricii *bibliotheca Graeca* XIII. p. 112.

CHLOROXYLON, corripitur. χλωρὸς, virens, ξύλον, lignum. Nomen recens.

CHONDRILLA, a voce χόνδρος, grumus, quasi planta, in qua grumi concrescant. Circa enim ipsos ramulos, vt ait Dioscorides 2, 161. gummi reperitur mastiches simile, fabae magnitudine, quod quidem cum myrrha tritum et in linteo olivae instar appositum menses trahit. TOURNEF.

CHRYSANTHEMUM corripitur. χρύσος, aurum; quasi dicas flos aureus. Nomen iam vsque a Plinii tempore vsitatum.

CHRYSOBALANUS. i. F. corripitur. χρυσοβάλανος, glans aurea, Theophrasto est e genere palmarum.

CHRYSOCOMA, corripitur. Chrosocomus, i. e. auricomus, Goldhaar. χρυσοκόμης est epitheton Bacchi. Plinio ac Dioscoridi herba dicta est chrysocome, es.

CHRYSOGONUM. Dioscoridi 4, 56. χρυσόγονος, aureus partus, auro nata sc. herba a γονὴ, foetus, soboles. Corripitur.

CHRYSOPHYLLUM, i. e. aureum folium; quia folia subtus sunt tomentosa, sed nitida.

CHRYSOSPLENIUM. σπλὴν, ηνὸς, splen, lien. Sine auctoritate veterum.

CICER,

Cicer, eris. N. corripitur. Horat. *de arte poet.* 249. *Nec, si quid fricti ciceris probat et nucis emtor.*

Cicera (Lathyrus), ae. corrip. Latinis eadem esse videtur, quae cicercula vocatur; id quidem est, quasi minutum cicer.

Cichorium s. cichoreum et cichorea, ae. *κιχώριον*, Theophrasto etiam *κιχώρη*, Nicandro *κίχορα*, aliis *κιχόριον*, etiam *κιχόρειον*. Atque id sequutus Horatius versu isto Alcmanio *od.* 1, 31 16. *me cichorea, levesque malvae.* Scilicet *ει* Graecorum abit in *e* longum. Sed ex *κιχώριον* fit cichorium, penultima correpta. De etymo vid. Vossii *etymol.*, cuius sententia valde verisimilis non est, cum nomen potius Aegyptiacum esse videatur. Namque intybum, inquit Plin. 20, 1. in Aegypto cichorium vocant.

Cicla (Beta). Theophr. atque Plin. 19, 8. p. 175. vnum genus betae vocarunt Siculum s. betam Siculam, ex quo adiectivo fecit serior aetas Ciclam.

Cicuta, producitur. Ovid. *de A. A.* 3, 465: *Et dare mista viro tritis aconita cicutis.*

Cinnamomum (Laurus), producitur. *κιννάμωμον.* De cinnamomo veterum videsis quae a nobis disputata sunt ad Antigoni Carystii *hist. mirab.* pag. 83.

Cissampelos, i. F. vulgo quidem scribitur simplici S, sed duplici scribendum est, quippe

compositum ex ἄμπελος, vitis, et κίσσος, hedera. Sic etiam Cissanthemum, cissophyllum. Penultima corripitur. In appendice Dioscoridis 4, 139, seu in *nothis* p. 464, ἡ ἑλξίνη, helxine, dicitur vocari a quibusdam κισσάμπελος, a quibusdam κισσάνθεμον. Nominis ratio haec esse videtur, quoniam, vt Dioscorides tradit, in vineis praecipue crescit, et folia habet hederae similia, nec non hederae in modum ramulis longis complectitur quodcunque contigerit adminiculum. Dioscor. 4, 39, p. m. 258.

Cissus, i. M. κίσσος. Plin. 16, 34.

Cistus, i. M. s. cisthum, N. Bene per *th* scribitur, nam Galenus, Aetius, Hesychius, Plinius habent κίσθος, cisthos. Quam scripturam par θ esse veriorem, patet e serie alphabetica, quam sequuntur Hesychius, Galenus, Aetius et Paul. Aegineta; omnes enim ponunt ante κίσσος. Ideoque et compositum ὑποκισθὶς scribendum per θ, ac *hypocisthis* per th.

Citharexylum. E ligno huius arboris parantur in Jamaica instrumenta musica, inde nomen traxit. Dicitur etiam ab Anglis *the fiddle-wood.*

Clathrus, i. M. Sed apud auctores latinos tantum pluraliter reperitur: clathri et clathra. Sunt iis ligna reticulato textu, quibus aliquid munimus sepimusve vt fenestras. A Graecis dicitur κλεῖθρον, quasi clausura, ab eo, quod est κλείω, claudo. Hodie clathrus vocatur

fungus

fungus corpore reticulari, fenestrato. Michel. p. 214.

Clavaria ob formam clavae dictus fungus. Latinis vero *clavarius* non a clava, sed a clavo derivatur, diciturque ita, qui calceos clavis figit, vel qui clavos parat.

Clematis, idis; vtrumque corrip. κληματὶς. Nomen antiquum. *Clematitis* producit penultimam, quem ad modum cuncta derivata in *ites*. *Clematitidis* autem corripit.

Cleome, es, in *philos. bot.* p. 182. derivatur a κλείω, claudo, quasi clausa. Ideoque corripitur, sicut etiam o in Cleomedes, κληομήδης. Nomen accepit Linnaeus a L. Anguillara, qui illud reperit in libro Octav. Horat. quem equidem Theodorum Priscianum, medicum saeculi quarti, esse existimo.

Cleonia, ae. κλειωνία, in *nothis* Dioscor. p. 442. et Theophr. *hist.* 7, 4. ad genus helenii refertur.

Clerodendrum in *phil. bot.* 176. a δένδρον, arbor, et κλῆρος, fortuna, derivatur, quasi arbor fortunata, et ita ab Indis vocatur. At κλῆρος non est fortuna s. τύχη, sed sors s. nota, quae in vas coniicitur ad sortiendum. Fortunatus Graecis est εὐτυχὴς. Sed vtcumque se habent ista, vocabulum est recens conflatum a Burmanno.

Cle-

Clethra, ae. κλήθρα, κλήθρος, alnus. Arbor ita appellata ob foliorum formam, quae ad alni folia proxime accedunt.

Clibadium. κλιβάδιον vel κλιβώδιον Diofcor. 4, 34. herba, quae et ἑλξίνη dicitur.

Clinopodium, quafi lectipes, ex vocibus Graecis κλίνη, lectus, et πους, pes; floribus nempe (orbiculato fuo ambitu), vt ait Diofcor. 3, 119. lecti pedum fpeciem praebentibus, ex intervallis Marrubii modo difpofitis.

Clitoria dicta ob figuram corollae. Iam Pluk. ac Burm. flos clitorius, et Breynio flos clitoridis dictus eft. Clitoris correpte pronuntianda, qui ignorat, quid fit, eum ablegamus ad librum Reign. de Graaf *de organis generationi infervientibus*, in *oper.* p. 94. Fons clitorius in Ovid. *metam.* 15, 322. fuit prope vrbem Arcadiae, quae Clitoris appellabatur.

Clymenum (Lathyrus). Plinio clymenus herba eft, a rege Clymeno ita appellata. κλύμενος. Pen. corripitur.

Clypeola. Corripitur. A clypeo f. fcuto recens dicta herba ob figuram fructus. Antiquioribus herba dicebatur Thlaspi clypeatum, f. Leucoium clypeatum, f. Lunaria peltata. Conf. *hortus Cliffort.* p. 329. Eadem de cauffa, genus, quod in fyftemate *Clypeolae* proximum eft, dicitur *peltaria*, quae genera, ipfo Linnaeo iudice, ad vnicum genus commode poffent reduci.

Cneo-

Cneorum, κνέωρον. Plin. 21, frutex coronarius. Producitur.

Cnicus, i. nomen herbae iam Columellae et Plinio.

Cocculus (Menifpermum) diminutivum vocis coccus. Italis *coccole di Levante.* κόκκαλος vero eft veteribus ftrobilus atque nux pinea. Corripit pen.

Cochlearia, quia folia cochlearis inftar quandoque fint excavata. Vox veteribus incognita.

Cocos idem videtur quod coccus. Garcias quidem in *aromat. hift.* 1, 26. p. 189: nuci nos Lufitani nomen Coquo indidimus, ob tria illa foraminum veftigia, quibus cercopitheci, aut alterius fimilis animalis caput repraefentat.

Coccoloba. Brownio Coccolobis. Corripitur, fi a λοβὸς, filiqua, derivatur.

Codia. Originem vocis novae aucupari nondum licuit. Κώδιον Theophr. *hift.* 4. eft herba a corii fimilitudine dicta. κώδιον enim pellem f. corium fignificat.

Coix, icis. M. κόϊξ, ικος, Theophrafto palmae genus.

Colchicum, corript. Plurimum apud Colchos nafcitur, Diofcoride auctore 4, 84; inde nomen.

Colocasia et colocafium (Arum) apud Diofcor. ac Plinium. An forte vox Aegyptiaca? Conf. Voffii *etym.* et Salmaf. ad Solin.

Colo-

Colocynthis, idis. (Cucurbita). Pen. genitivi corripitur. De vocis origine diſputavit Martin. in *lexc. phil.*

Colurna (Corylus). Colurnus, a, um, vel ex corno, vel ex corylo factum dicitur Latinis.

Colutea, corrip. arbor Theophraſti; alia eſt *colytea.*

Comarum, Plinio comaron, penultimam corripit.

Conferva, ae. F. Plin. 27, 8: *peculiaris eſt Alpinis fluminibus conferva, appellata a conferruminando. — — Curatum eo ſcio omnibus fere oſſibus confractis.* cetera.

Conium, conion, κώνειον, ideoque pen. producenda. Herba perniciosiſſima, Latini quam cicutam appellant παρὰ τὸ κωνᾶν, quod eſt circumagi aut circumvertere, quod epota vertiginem inducat. Vid. Foeſ. *oeconom. Hippocr.* p. 369.

Connarus, κόνναρος, arbor ab Athenaeo commemorata, de qua conf. Cluſii *hiſtor.* 1, 19. p. 27. Penultimam corripiendam cenſeo, vti in barbarus, tartarus ac ſyllaba ſecunda in cataracta.

Connivens (e. gr. corolla Trollii europaei.) producitur. Sil. Italicus 7, 462: *Connivens oculis, ibat lucoque ferebat;* vbi tamen recentiores legunt *Condiſcens.*

Conocarpus et Conocarpodendrum a κῶνος, conus, κάρπος, fructus, ni fallor, dicuntur.

Con-

CONSOLIDA (Delphinium) ſc. herba. Adiectivum conſolidus, a, um, a verbo conſolidare apud Arnobium, non apud antiquiores, reperitur. Herba eſt eadem, quae Graecis atque Latinis eſt Symphytum, de qua Plin. 17, 6. p. 425: *vulneribus ſanandis tanta praeſtantia eſt, vt carnes quoque, dum coquuntur, conglutinet addita, unde et Graeci nomen impoſuere.*

CONVALLARIA. Ne innovationem nimiam introducamus, levi mutatione Convallariam dicimus aliorum lilium convallium. Ita Lin. *flora Lappon.* p. 80.

CONVOLVOLUS Plinio eſt herba a convolvendo dicta, quod plurimae ſpecies ſe convolvant. Corripitur et ſcribitur recte per *o*, non *u*.

CONYZA, ae. producitur. Nomen Dioſcoridi ac Plinio vſitatum.

COPROSMA. Genus novum traxit nomen a κόπρος, ſtercus, fimus. Eſt enim herba foetidiſſima.

CORCHORUS, i. M. κόρχορος, corripitur. Plin. 25, 13.

CORDIA. Dicta fuit arboris familia fructu cordiformi, ſemineque biloculari, vt cor, ab egregio plantarum deſcriptore Valerio Cordo. Haec Lin. *hort. Cliffort.* p. 63.

COREOPSIS, quia ſemina faciem cimicis gerant. Lin. *hort. Cliffort.* p. 420. κόρις, εως, cimex. ὄψις, εως, adſpectus.

CORIAN-

CORIANDRUM Plin. Graecis κόριον et κορίαινον, dictum putant, quod folia ac caules cimices redoleant. κόρις, cimex.

CORIARIA. Plin. 24, 11: *frutex coriarius, cuius aridis foliis, vt malicorio, coria perficiuntur.*

CORIS, is. F. Plinio 26, 8.

CORISPERMUM. κόρις, cimex; σπέρμα, ſemen.

CORNUCOPIA. Cum defloruit incraſſatur verſus calycem petiolus, incurvatur, cornuque refert frumento repletum, vnde nulla planta aptior dicatur cornu copiae, quam hoc ſingulare gramen. Haec Lin. in *horto Cliffort.* p. 490. Primus, qui hoc nomen impoſuit, fuit Scheuchzerus. Dicitur *cornucopia, ae.* F. et *cornu copiae* potius diviſis vocibus, qua de ratione ſcribendi abunde diſputavit Crenius in *animadverſ.* 14. p. 24 - 27. et 16. p. 280. Graecis eſt cornu ab Amaltheae capra ſumtum.

CORNUTIA. Conſecrata eſt memoriae Iacobi Cornuti, cuius induſtriae debetur *Enchiridium Pariſienſe,* cui debet orbis plurimas raras Canadenſes plantas bene depictas. Lin. *hort. Cliffort.* p. 319.

CORONILLA, diminutivum a corona, quod aurea aetate nemo dixit. Traxit vero planta hoc nomen a corymbo coronato.

CORONOPUS, odis. M. (Plantago et Cochlearia). Quilibet caſus corripitur. κορωνόπους, quaſi tu cornicis pedem dicas. Plin. 22, 19. et 21, 16.

CORRI-

Corrigiola, ae. corrip. Nomen recens, quod quidam lexicographi auctoritate Plinii temere probare volunt; a pedum ligatione dictum (*philos. bot.* p. 166.), quod convenire videtur in *Polygonum aviculare*, quod botanici antiquiores corrigiolam vocabant.

Corylus, i. F. corripit penultimam. Virg. *eclog.* 1, 14: *Hic inter densas corulos modo namque gemellos.* Scribitur et corilus et corulus. Nil refert. Conf. Heyne ad Virgilii l. l.

Corymbium. *Corymbus* est racemus f. globus florum, est etiam in ornamentis capitis muliebris, atque hac notione legitur etiam *corymbium* in quibusdam Petronii editionibus. Ita vero herba appellata videtur, quia e foliorum alis superioribus racemi compositi oriantur, qui omnes fastigiati in corymbum flores ferunt. Plinio est herba quaedam vocata *corymbia, ae*, ferulae genus.

Corynocarpus. Nomen recens. Num a κορύνη, clava?

Corypha, ae. κορυφὴ, vertex capitis, cacumen, fastigium. Foes. *oecon. Hippocr.* p. 350. *Philos. bot.* p. 183. Penultima corripitur, vti in Coryphe, es, quo nomine appellatur Oceani filia, mater Minervae.

Cotinus, i. M. corripitur. Plin. 16, 18.

Cotonaster, i, um. (Mespilus); nomen novum.

Cotula, ae. Corripit penultimam. Latinis eſt vaſculum quoddam, et menſura Graeca, nec vero herba. Martinius in *lexico philol.* putat, nomen herbae eſſe e Germanico Kuhdille, quod Belgis eſt *Koedill.* Equidem neſcio, an haec ſententia vera ſit, cum nulla noſtrae cotulae ſit ſimilitudo cum anetho.

Cotyledon, onis. Vterque caſus producitur, nam Graecis eſt κοτυληδών. Plin. 25, 13. Tournefort. p. 90: Cotyledonis ſpecierum radix vtplurimum tuberoſa, folia craſſa acetabuli forma; vnde cotyledon a κοτύλη, quae cavitatem ſignificat. In his tamen nequaquam ſita eſt huius generis nota; nam inter ſpecies aliae ſunt foliis planis, aliae radice fibroſa. Hactenus Tournefort.

Cracca (Vicia) Plinio 18, 16. eſt genus leguminis degenerantis.

Crambe, es. F. Graecis κράμβη dicta, quaſi κοράμβλη, quod oculis ſit inimica. Scholiaſtes Ariſtophanis in *Equitibus:* παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς κοράμβλη, διὰ τὸ τὰς κόρας βλαπτήν, apud Atticos Coramble dicitur, quod oculorum pupulas laedat. Columellae etiam Coramble dicitur: *Nunc veniat quamvis oculis inimica coramble.* Licet J. Ruellius locum hunc de flore coronario intelligat, quem Graeci κορύμβιον vocant, et *corymbe* monet legendum; ſed meliores codices et ratio veterem lectionem adſtruunt. Conf. Nonnii *diaetet.* p. 46. et Martinii *lexic. phil.*

Cranio-

Craniolaria, a figura fructus nomen novum traxit herba. *Philos. bot.* p. 168.

Crassula. Nomen noviter factum. Nam nec adiectivum crassulus, a, um, reperitur apud scriptores antiquos. Herba ita dicta est, quae crasso pinguique folio praedita est. Corripit penultimam. Conf. Dillenii *hortus Elthamens.* p. 115.

Crataegus, i. Plinio 26, 10. est crataegis, is, in. F. et 16, 30. crataegum, semen quoddam, et 27, 8. p. 428. crataeogonon s. crataegonon. Namque in hisce nominibus libri manuscripti magnopere variant. Crataegus autem apud Latinos veteres non invenio, licet Graeci dicant κράταιγος et κραταιγὸν.

Crateva nomen traxit ab herbario seu medico, saepe Dioscoridi ac Plinio laudato. Vixit vero Crateias s. Cratevas tempore Hippocratis. Conf. Fabricii *biblioth. graeca* XIII. p. 129. Penult. produc.

Crepis, idis. F. corripitur. Plin. 21, 16.

Cressa. Latinis est foemininum a masculino cres, i. e. cretensis. Nusquam laetior provenit herba, quam in Cretae littoribus salsis.

Crinum s. crinon Plin. 21, 5.

Crithmum. Dioscoridi 2, 157. κρῖθμον, sed in libris Latinis desideratur id nomen.

Crocodilium (Centaurea), nomen iam Plinio 27, 8. vsitatum.

Crotalaria a figura leguminum Hermanno dicta est planta, quae caudam serpentis Crotali referunt, quod vibrata sonum dant, seminibus non omnino affixis. *Philos. bot.* p. 168. Crotalum (pen. correpta) est crepitaculum, quo vtebantur mulieres Syrae, quae Ambubajae dicebantur.

Croton, onis. producitur. κρότων. Theophr.

Crucianella. Cruciata et crucialis dicebatur Dodon. Lobelio, Bauhino aliisque a foliorum in crucis formam situ, quod nomen Lin. immutavit.

Crucita; ex Hispanico Cruzeta esse videtur; saltem cruzeta a Loeflingio p. 203. (236.) dicebatur.

Crupina (Centaurea), e nomine Germanico Krüpen, Belgis *Kruipen*, i. e. repere, quia semen manu contractum se subducit ac prorepit. Conf. Bauh. *hist. plant.* 3. p. 24. et Lobelii *observat.* p. 116. Sed Tabernaemont. Kräuterbuch 1. p. 503. negat, se scire nominis originem. Repit vero semen adeo, vt, quod casu vestis manicae adhaerescit, paulatim sub indusio totum corpus perrepat. Ceterum liceat annotare bonam iconem huius herbae reperiri in Garidel: *hist. des plantes qui naissent aux environs d'Aix* tab. 52, vbi *Jacea* dicitur p. 243. Ab Hallero descripta est 3. p. 183. nomine *Serratulae.*

Cubeba (Piper?). Indis cubab. Avicennae Kebaba, pen. corrip. quia Actuario et aliis Graecis recentioribus appellatur κούπεπερ, κόμπεπερ, κόμβεβαρ et κόμβεβα. Borrichius.

Cucubalus. Apud Plinium legitur cucubalum ſ. cacubalum. N. Penultimam corripit.

Cucumis ſ. cucumer, eris. M. In genitivo etiam cucumis, in dativo cucumi, in accuſat. cucumim, in ablativo cucumi et cucumere, in genit. plural. cucumerum. Pen. corripitur, vti quoque in Cucurbita. Propert. 4, 2: *Caeruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre.*

Cuminum, producitur. Perſ. ſat. 5: *Rugoſum piper, et pallentis grana cumini.*

Cunila. Columella 9, 4. Lexicographi fere omnes corripiunt mediam. At Nicander *theriac.* 626. eam produxit: Κόρκορον ἠμυόεντα, πανάκτειόν τε κονίλην.

Cunonia. Joh. Chriſtian. Cuno, mercator Amſtelodamenſis, hortum habuit rariſſimis herbis inſtructum, quem ipſe carmine germanico deſcripſit. Ibi Bütnerus, poſtea profeſſ. botan. Gottingenſis, primus Antholyzam cunoniam vidit, quam deſcripſit vocavitque Cunoniam. At cum iſta planta in ſyſtemate Linnaeano proprium genus non conſtituat, et ad antholyzas pertineat, vocavit Linnaeus iſtam plantam decandram Cunoniam. Quod enim huic iam olim impoſuerat nomen Burmannus a profeſſore quodam Ultraiectenſi, illud ferre non

 poterat

poterat Linnaeus, cum hic non fuerit botanicus. Dicta vero erat a Burmanno *Oosterdykia.* Conf. Halleri *bibl. bot.* 2. p. 406. et Dryander *catal. bibl. Banks* 3. p. 192.

Curcas (Iatropha), nomen Americanum.

Curcuma. Vox recentior officinarum; nomen ab inaequalitate radicis, lupatis equorum simili, quae olim hodieque nodis ferreis olivarum instar sibi cohaerentibus distinguuntur, *κούρκουμα* nuncupatis, vt probe in Theophrasto suo observavit Bodaeus a Stapel, et ante eum Pollux 1, 2. Vnde Hesychio: *ἐν κημῷ, ἐν κουρκούμῳ*, et Achin. c. 271. Penultima ergo producitur, quia est a Graeco *κούρκουμον.* Haec Borrichius.

Cuscuta. Equidem cum lexicographis vocem corripiendam censeo. Conf. v. *Cassytha.* Attamen adscribam ea, quae hac de re disputavit Borrichius, cui vox producenda videtur. Cuscuta, inquit, vox officinarum, Graecis recentioribus *κασσύθα*, quae *καδύτας* Theoph. *de caussis* 2, 3. existimatur, et cadytas Plinii 16, 44. Kusjouths Avicennae vocatur, haud dubie a *κασσύθα* Graecorum. Quia ergo cuscuta levi detorsione a kusjouths, et *κοσύθα* nascitur, et *κασσύθα* pen. producit, sequitur idem cuscutae fatum esse. Opportune vero *κασσύθα* appellatur a *κασσύω*, consuo, quod velut filis intortis plantarum aliarum folia consuat iungatque. Hactenus Borrichius.

Cyanus

Cyanus (Centaurea), pen. corrip. Ovid. *trist.* 1, 9, 34: *Transeat instabiles strenua Cyaneas.*

Cycas. Plinio 13, 4: cyca, ae, palmae genus.

Cyclamen. Plinio, Scribonio, Apuleio aliisque dicitur herba Cyclaminus, vbi pen. producitur; sed cum antepenultimam corripuerunt poetae, etiam Cyclamen corripere, fas est. Poeta apud Athaen. lib. 15: *Καὶ γεραὸν πώγωνα, καὶ εὐτραπέας κυκλαμίνου.* i. e. vt nec senilem barbam, nec speciosum cyclaminum. Tournefortio auctore dicitur cyclamen a *κύκλος*, circulus, propter radices et folia orbiculata specierum huius generis; quo enim tempore flore et fructu carent, dignosci solent foliis subrotundis vel angulatis. Earum radices vt plurimum tuberosae.

Cyminum (Cuminum) producitur. Idem quod cuminum, vnde sal cyminatus Pallad. 12, 22.

Cynanchum. In libris veterum non reperi; sed cynanche, es. F. est morbus faucium, a canibus dictus, quos infestat. *κύων*, canis. *ἄγχω*, strangulo.

Cynapium (Aethusa), nomen recens, apium canum, a Tabernaemont. et a nostratibus Hunds-petersilien dicitur.

Cynara, rectius cinara. Corrip. Colum. 10, 235: *Hispida ponatur cinara, quae dulcis Iacho.*

Cynoglossum, *κυνόγλωσσον* Dioscor. *κύων*, canis, *γλῶσσα*, lingua, a foliorum forma.

 Plin.

Plin. 25, 8: *cynoglossos caninas imitans linguas.*

Cynometra, ae. produc. κύων, canis, μήτρα, vulva, quam legumen lunatum, compressum et carnosum referre visum est.

Cynomorium, μόριον, penis. Plin. 22, 25. a canini genitalis similitudine. Michel. *gen.* p. 17.

Cynophallophora (Capparis), penem caninum ferens, quoniam a Caribaeis herba vocatur penis caninus. Phallophorus, φαλλόφορος, phallum ferens, in festo Bacchi, de quo conf. Cael. Rhodig. *antiq. lect.* 6, 17. Penultima corripitur.

Cynops, opis (Plantago) corrip. Plin. 21, 17.

Cynosbatus. pen. corrip. i. e. rubus caninus. βάτος, rubus.

Cynosurus, produc. sicut cynosura, κυνοσουρὰ, ας, canis cauda, sidus boreale, vrsa minor.

Cyperus, i. M. et F. κύπειρον. Media producitur. Sic Petronius 127, 9: *Emicuere rosae, violaeque et molle cyperon.* At Marcellus, auctor saeculi quinti, secundam brevem extulit:

Cyprum ladanum sagapenumque et tragachantum,
Scammoniam, cyperon, malabathron et ammoniacum.

Duo

Duo ſunt nomina apud veteres ſimilia, quae facile confunduntur: cyperus et cyprus. Cyperus ſ. cyprius, eſt junci vel graminis genus; ſed cyprus, i. M. vocatur veteribus, quae noſtratibus dicitur *Lawſonia inermis*, de qua conf. Waarenkunde 2. St. 3.

Cypripedium, a calcis ſimilitudine antiquioribus botanicis herba iam dicta eſt calceolus marianus ſ. Mariae, pro qua ſubſtituta eſt a Linnaeo Venus, diva potens Cypri. Sed poſterior vocis pars, ſine vlla auctoritate, de pede extorta eſt, neque quemquam novi, qui pedium ſ. podium dixerit pro calceolo. Conf. *flora Lappon.* p. 248.

Cytinus. Plinio 23, 6. eſt flos mali punici, dictus a tumore, qui *κῦτος* dicitur Graecis. Media corripitur.

Cytisus, i. M. Media corripitur. Virg. ecl. 1, 79: *florentem cytiſum, et ſalices carpetis amaras.* Apud Varronem neutrius generis legitur: *cytiſum pecori amicum.* Apud Columell. 9, 4. etiam feminini generis: *cytiſus eſt duplex, vna ſativa, altera ſuae ſpontis.*

D

Dactylis, idis. F. vtrumque corripitur. *δάκτυλος*, digitus. Plin. 14, 3. p. 711. dixit vites dactylides digitali gracilitate.

Dactylus, i. M. corrip. Colum. 3, 2, 1. vocat adiective vites quasdam dactylos, vel quod

graciles ſint, vel quod grana habeant dactylis ſimilia. Fructus palmae iam veteribus vocabantur dactyli.

Dais. Nomen novum. Neſcio, an ſit Graecorum δαὶς, ἰδος, taeda.

Damascena (Prunus). A Syriae Damaſco cognominata dicitur Plinio 15, 13. ſect. 12. Δαμασκηνὸς; producitur.

Damasonium (Alisma), δαμασώνιον. Plin. 25, 10. p. 379. idem quod alisma.

Dandelion (Tragopog.). Equidem ſuſpicor, Linnaeum hoc nomen efformaſſe ex Gallorum *dent de Lion*, i. e. leontodon.

Daphne, es. F. Olim hoc genus vocabatur Laureola, cui Lin. impoſuit nomen Pinei filiae, Phoebo adamatae, atque in Laurum converſae. *Hort. Cliffort.* p. 147.

Datura. Sic vocari Luſutanis herbam, Turcis vero Datula, refert. Chr. a Coſta. Linnaeus autem *philoſ. botan.* p. 49. nomini barbaro affinxit originem Latinam, quaſi ſit a *dando*, quod detur inertibus et effoetis a ſcortis. At dantur quidem ſemina, ab impudicis mulierculis, maritis, ſed alio conſilio, quod refert Chr. a Coſta in *hiſtor. aromat.* 3, 53. p. 288. et p. 238.

Decumaria, dicta, quoniam habet decem petala, quod vnum in Dodecandria exemplum eſt.

Delima,

DELIMA, Arnobio idem quod lima esse videtur, atque inde huic generi nomen inditum esse, auctor est ipse Linnaeus *philos. botan.* p. 182. Quod cum ita sit, penultimam producere fas est.

DELPHINIUM. Dioscor. 3, 84. p. 207. auctor est, nomen esse deductum a foliis, quae delphinorum effigiem prae se ferant. Sed Tournef. deducit illud a forma floris, nondum explicati, qui delphinum, qualis a pictoribus pingi solet, quodammodo referat. Conf. v. *Ajacis.*

DENTARIA. Dentariae herbae solus Apulej. *de herbis* mentionem iniecit. Quae hodie ita appellatur, nomen habet a radicis forma et colore, quae candidissima, ex pluribus squamis, quasi dentibus, componitur.

DIALIUM. Apuleio *de herbis* c. 49. eadem herba, quae heliotropium.

DIANTHERA, producitur. δὶς, bis; ἀνθηρά; quippe quae geminas antheras in singulo filamento gerit. Rectius fortasse *Disanthera.*

DIANTHUS, quasi flos Jovis seu flos deorum dicitur hoc genus, ab eximio florum in quibusdam speciebus odore et colore, quod nomen etiam antiquum synonymum est. Haec in *Flora Lappon.* p. 133. ζεὺς, genit. διὸς, Jupiter. δῖος, α, ον, a Jove oriundus, divus. Sed διανθὴς, ἐος, Theophrasto *hist.* 1, 21. est duplicem florem habens; etsi mirum, inquit Ste-

Stephanus, ni pro hac ſignificatione ſcripturus fuerit potius διισανθής.

Diapensia. Nullus ex auctoribus botanicis, quibus cum ego verſatus ſum, originem nominis edocuit, etſi multi id Saniculae, quae a ſanandis vulneribus dicta eſt, tribuerint. Lin. *phil. bot.* p. 175. perhibet, nomen erronea lectione veterum ortum eſſe e διαπενθής, ſed neque haec vox Graecis fuit in vſu, quibus tamen διαπενθέω eſt lugeo. Mihi quidem veriſimile eſt, factum eſſe omnino e πένθος, luctus, ac voluiſſe auctorem ea voce ſignificare herbam contra luctum valentem; quem ad modum νηπενθής eſt luctu carens.

Dictamnus, i. F. δίκταμνον et δίκταμνος et δίκταμον. Τοῦ δικτάμνου Dioſcor. 3, 37. meminit. Videtur vox ἀπὸ τοῦ τίκτειν deduci, eo quod Dioſcor. et Theophr. ὀξυτόκον ἐςί, cum non modo potum, ſed appoſitum quoque partus defunctos eiiciat. Haec Bauh. *pin.* p. 222.

Digitalis, produc. Nomen recens deductum a ſimilitudine floris cum digitali, quo mulieres inter conſuendum digitos munire ſolent.

Diodia. A ſolo natali eſſe nomen perhibet Lin. *phil. botan.* p. 186. quia διόδιος ſit ſubviatica. At hanc vocem lexica ignorant, neque ſcio, qua auctoritate poſſit probari. ὁδὸς, via, δίοδος, ου, via, quae per aliquem locum fert.

Diosma.

Diosma. Diosmam dixi genus, ait Lin., a ſuaveolentiſſimo ac refocillanti odore totius plantae, preſertim pericarpiorum. ζεὺς, διὸς, Juppiter et ὀσμὴ, odor. *Hort. Cliffort.* p. 72. *Phil. bot.* p. 180. Alioquin putaverim, eſſe διόσμος Theophraſti, quae eſt vis illa, quae odorem ſenſuum ad odoratum transmittit.

Diospyros, i. M. corripit penultimam; id eſt Jovis triticum. Nomen Dioſcoridi ac Plinio vſitatum.

Dipsacus, i. M. corripitur. A διψάω, ſitio, dicta eſt herba, quod in concavo foliorum caulem amplectantium ſinu ros et aqua pluvia ſubſiſtunt. Conf. Plin. 27, 9. ſect. 47. Inde herba etiam vulgo dicitur lavacrum ſ. labrum Veneris, *cuve de Venus*, *bain de notre Dame.* Q. Serenus 1008: *Aut Veneris labrum quae dicitur herba, bibetur.* Plin. 30, 3.

Dirca. Δίρκη, Lyci regis Thebarum vxor, alligata tauro indomito, atque eo modo extincta a privignis. Poteſt fieri, vt funes, qui e cortice arboris parantur in America (Kalm *itiner.* 3. p. 114.), iſtos funes, quibus Dirca alligata eſt, in memoriam revocaverint. Fortaſſe autem alia cognominandi ratio ſubeſt, at exploratum habeo, Linnaeum eiusmodi ſubſidia mnemonica non admodum adſpernatum eſſe.

Distichon (Hordeum), media correpta; duobus conſtans ordinibus. Στίχος, ordo.

Dode-

Dodecatheon, i. N. Herba Plinii aetate ſic dicta a duodecim diis. Sunt autem *οἱ δώδεκα θεοὶ*, Jupiter, Juno, Apollo, Mars, Venus, Ceres, Neptunus, Mercur., Vulcanus, Minerva, Diana et Veſta. Sed Dodecatheon Linnaei habet plerumque duodecim flores pulcerrimos, qui tanquam XII. dii in throno ſedent. Angli hocce genus vocaverant nomine celeberrimi Mead, quem, cum non fuerit botanicus, iſto honore privavit Linnaeus, relinquens ſpeciei nomen viri erudititiſſimi.

Dolichos, i. M. corripitur. Plinio leguminis genus.

Donax. M. (Arundo) donacis. Penultimam producendam cenſeo, vti Ajacis, thoracis; etſi ſint, qui corripiant, vti abacis, climacis, ſtyracis. Plinio eſt calamus.

Doria (Senecio). Quae herba olim virga aurea dicebatur, a Narbonenſibus dicta eſt *dorea*, ex Gallico *dorée*, quaſi deaurata, quod nomen tandem a botanicis acceptum eſt. Narbonenſium Doream, inquit Bauh. *hiſt. plant.* 2. p. 1064. quaſi auream, perperam Doriam vocant; neutiquam Doriae duci triremum, quaſi exoticae huius repertae laudem vere aſſerunt herbarii quidam.

Doronicum, vox ab Arabibus petita, quibus *doronigi* vel *dorungi* appellatur. Nos penult. corripiemus, vt ſantonicum, lingonicum, betonica.

Do-

Dorycnium (Convolv. et Lotus) δορύκνιον; nomen vetuſtum.

Draba, δράβη, iam Graecis nomen herbae.

Dracocephalum, δράκων, οντος, draco. κεφαλὴ, caput. Sine auctoritate veterum.

Dracontium, Dioſcoridi a maculis purpureis, quae in caule viſuntur, ita vt anguem plane, vt Dioſcor. loquitur, referat. Theophr. *hiſt.* 7, 11.

Dracunculus, corrip. (Artemiſia et Arum), iam Plinio herbae nomen.

Drosera, δροσερὸς, ὰ, ὸν, roſcidus, rorulentus. Eſt herbae vocabulum antiquiſſimum, quod generi, Ros ſolis dicto, impono, cum plantae huius folia ſemper ſint rorida, et nomen Ros ſolis retineri nequeat. Haec Lin. in *Flora Lappon.* p. 77.

Dryas, adis. Latini pluraliter tantum Dryades, um. Per omnes caſus corripitur. ἀπὸ τῆς δρυὸς, a quercu dicebantur ſilvarum deae. Linnaeus nomen adoptavit, quod folia quodam modo formam foliorum quercus exhibeant. *Flora Lappon.* p. 173.

Dryopteris, idis. Vtrumque corripitur. Plinio filicis nomen. δρῦς, quercus; πτερὶς, filix.

Drypis, idis. corripitur. δρυπὶς, ἴδος, Theophraſto eſt frutex pro foliis ſpinas habens.

Dudaim (Cucumis). De hoc vocabulo Hebraico diſputant hierobotanici ad *Gen.* 30, 14. et *Cant.*

Cant. 7, 13. דּוּדָאִים est nomen plurale, ὀξύτονον, seu habens vltimam syllabam auctam.

DULCAMARA (Solanum) producitur. Fictum nomen e Graecorum γλυκύπικρος, dulcedinem amarori permixtam habens. A Plauto connectitur *dulce-amarum.* Q. Serenus composuit versu 151 et 733. *dulcacidum* ex dulci et acidum.

DURACINA (Cerasus) pen. corrip. duros habens et firmos acinos. Vuarum praesertim epitheton. Potest autem deduci simpliciter a durus s. duritie, quasi sit cerasum durioris carnis. Conf. Voss. *de vitiis sermonis* 1, 7. p. 72.

EBENUS, penult. corrip. Virg. *georg.* 2, 116: *Fert ebenum, solis est thurea virga Sabaeis.*

EBULUS (Sambucus) corrip. Virg. *ecl.* 10: *Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.*

ECASTAPHYLLUM (Hedysarum). ἕκαστος, singuli. φύλλον, folium. Quam vero rationem cognominandi habuerit Brown, ignoro. Certe non debuit sine adspiratione efferre nomen.

ECBOLIUM (Iusticia). ἐκβόλιον, q. d eiectorium, i. e. eiectrix medicina, abigens in vtero enectos infantes.

ECHINOPHORA, pen. corrip. ἐχινοφόρα, echinum ferens. Plinio nomen conchae, quod herbae datum est fructu echinato.

ECHINOPS.

Echinops. producitur, fictum ex ἐχῖνος, echinus, et ὄψις, facies. Diversum nomen est Plinio echinopus, quod corripitur. ἐχινόπους, οδος, spinae genus aculeis horrens.

Echinus, i. (Statice), producitur. ἐχῖνος, ου.

Echites, ae. Plinio autem echites, M. est lapis, sed echite, es. F. herba. Vtrumque producitur.

Echium. ἔχιον, ab ἔχις, vipera, quod contra viperarum ictus valeat; alii volunt, quod florescat capitulis viperae similibus; et sic Dioscorides, quod semina κεφαλῇ ἔχιος ὅμοια, capiti viperino similia habeat.

Elaeagnus. F. ἐλαίαγνος ex ἐλαία, oliva, et ἄγνος, vitex. Nomen Theophrasto *hist.* 4, 11. p. 453. Conf. *Agnus.*

Elaeocarpus. ἐλαία, olea. καρπος, fructus. Sine auctoritate.

Elais. Videtur esse nomen Graecum olivae seu oleae arboris, ἐλαὶς, ιδος.

Elate, es. corripitur. ἐλάτη, abies. Sed Plinio est involucrum fructus palmae.

Elaterium, ἐλατήριον, quidquid ventrem deorsum purgat. Pen. corripitur, nam Graecis scribitur sine diphthongo.

Elatine, es. F. ἐλατίνη, herba Dioscoridi Plinioque. Corripit penultimam.

Elephantopus, odis. ἐλεφαντόπους, ποῦς, pes, ἐλέφας, elephas, ideoque pes elephantis,

 sed

ſed Graecis etiam eburneos pedes habens. Corripit penultimam. Elephantopi nomen impoſuit Vaillant, imitatus *Ana - Schovadi* Malabarorum, quod veſtigium pedis elephantis explicant *Horti Malabarici* auctores, et de foliis inferioribus dictum autumat Vaillant, quae exiſtimentur in ſpeciem pedis elephantis disponi in Ana-Schovadi, quam cum hac planta eandem putat. Haec Dillenius in *horto Elthamenſi* p. 127.

Eluteria (Clutia). In *Horto Cliffort.* p. 486. per *th* Elutheria. Fortaſſis fictum ex ἐλευθέριος, ſervator, liberator, de qua voce conf. Perizonii index in Aeliani *var. hiſtor.*

Elymus, i. M. corripitur. Dioſcoridi ἔλυμος, ου.

Emblica (Phyllanthus), ἔμπλιτζα, recentioribus Graecis eſt genus myrobalani, de qua voce conf. Salmaſ. ad Solin. p. 335. et Du Cange *gloſſar. Graecitatis.* Pen. corripitur, vt alia in —*icus*, aromaticus, criticus.

Embothrium. Nomen novum, cuius originem aucupari nequeo, niſi ſit ex Graeco ἔμβοθρος, quod denotat locum in foueam depreſſum, vel eum qui in fouea eſt.

Emerus (Coronilla). Vnde hoc nomen acceperit Caeſalpinus, ignoro, neque perquirere volo, quandoquidem is complura nomina obtulit, quae alibi non occurrunt. Neque plantae, quas recenſuit, facile agnoſcuntur, cum ſyno-

ſynonyma non addiderit. Plerumque corripitur, vt hemeris, idis, ἥμερις, quae arbor Plinio eſt glandifera.

Empetrum, ἔμπετρον Plin. ac Dioſc. Solemus corripere, neque hoc male propter mutam cum liquida, vt aiunt Grammatici.

Endivia (Cichorium). Nomen recens ex corrupto Intybo. Ruellius p. 375: "Intybi no„men iam Galeni memoria venerat in Grae„ciam, qui cichorium Romano ſermone dici „intybolachanum, id eſt intybaceum olus me„morat. Teſtatur itidem Paulus Aegin., qui „frequenter latina intubi appellatione eſt vſus, „quae tandem per interpretes ad nos interpo„lata rediit, remanente Graecorum pronun„ciatu, qui ſuo more pro intubo ſolent indi„vum proferre. Hinc mutata principe littera, „endiviae vocabulum profluxiſſe cognoſcitur, „retento etiam priore ſignificatu." — Corripitur ob vocalem ante vocalem.

Epacris. Num ex Graeco ἔπακρος, in acutum deſinens?

Ephedra, ae. ἐφέδρα. Plin. 26, 7. et ephedron 26, 13. Vtrumque corripitur.

Ephemerum (Lyſimachia), ἐφήμερον Dioſcor. 4, 83. Veteribus fuit ſpecies colchici, dicta inde, quia adeo ſit pernicioſa, vt ſumta vna die interficiat.

Epidendrum. Nomen novum e δένδρον, arbor, et ἐπὶ, ad, quia ſit herba paraſitica.

Epigaea. Nomen novum, ἐπίγαιος, humi repens. γαῖα, terra.

Epilobium; i. e. ἴον ἐπὶ λόβου, viola ſupra ſiliqua, nomen a Gesnero confictum.

Epimedium. Plinio 19, 5. p. 169: epimenidium. Dioſcor. ἐπιμήδιον.

Epiphyllanthus conf. Phyllanthus.

Equisetum penultimam producit, id eſt: ſeta equina. Nam ita ipſe Plin. 26, 13: *equiſetum — — eſt pilus terrae* (i. e. veluti pilus terrae, cum pilos habere pro foliis videatur), *equinae ſetae ſimilis.* Graecis olim hippuris, quod nomen nunc ſingularem plantam deſignat.

Eragrostis, nomen recentiori aevo fictum ex agroſtis et ἦρ, ἦρος, ver; vti erigeron, eranthemum.

Eranthemum, corrip. herba veteribus ſic appellata, quod vere floreat. ἠράνθεμον. Male ab ἔρα, terra, deducitur in *Phil. botan.* p. 177.

Erica, ae. ſ. erice, es. ſ. erix, ericis. F. in omnibus pen. producitur. ἐρείκη.

Erigeron, ontis. corrip. ἠριγέρων, οντος, quod nomen Graeci, Plinio auctore, herbae dederunt, quia vere caneſcit. ἦρι vel ἔαρι γέρων. Sic eadem Latinis *ſenecio.*

Erinus, i. M. producitur. ſ. erineos, i. ἐρῖνος, ἐρίνεος. Plinio eadem arbor, quae caprificus. Vnde et vrbs in Doride, a caprifico dicta eſt Erineum, vt auctor eſt Strabo.

Erio-

Eriocephalum, corripitur; fictum ex ἔριον, lana, κεφαλή, caput, quasi caput lanatum.

Eriocaulon, i. recens fictum ex ἔριον, lana, et καυλός, caulis. Caulis lanatus.

Eriphorum, melius eriophorus. Corripitur. Plin. 19, 2. Laniger. A pappo seminum deductum nomen. Lin. *flora Lappon.* p. 18.

Erisithales (Cnicus). Plinio 26, 13. p. 412: erysithales per y. Corripitur.

Erithales, is. F. corrip. ab ἐρὶ, valde, et θάλλω, vireo. Ita Gesnerus in lexico Fabri. At verius Stephanus: ἠριθαλὲς, έος. τὸ, dictum ab ἦρ, ver, quod vere floreat, vt Plinius scribit.

Eruca (Brassica). Producitur. Ovid. 2. *rem. am. Nec minus erucas aptum est vitare salaces.* Ab erodendo dicta propter saporem acerrimum.

Ervilia, ae, (Ervum) iam veteribus genus leguminis.

Eryngium, ἠρύγγιον. De hac planta, cuius nomen Plinium in errorem induxit, videsis quae disputavimus ad Antigoni Carystii *histor. mirabiles* cap. 115. p. 166.

Erysimum, corripitur, a Graeco ἐρύω, conservo, salvum praesto, propter eximias qualitates, quas huic herbae tribuerunt antiqui. Verbum Graecum in lexico Hederici ac Ernesti omissum est, sed non desideratur in *Thesauro Stephaniano.*

Erysiphe (Mucor). Haud dubie Linnaeus voluit ſcribere *eryſibe*, ex Graeco ἐρυσίβη, ης, rubigo, de quo herbarum morbo egerunt Theophr., Plin. cet. Eryſibe, es. corrip.

Erythrina ab ἐρυθρὸς, ruber. Erythrinus, ἐρυθρινὸς, Graecis Latinisque eſt piſcis. Penult. producitur Ovidio *hal.* 104: *Caeruleaque rubens erythrinus in vnda.*

Erythronium ab ἐρυθρὸς, ruber. Dioſcoridi ſatyrii genus, quod Plinio 2. p. 405. etiam dictum eſt erythraicon, ἐρυθραϊκὸν et ἐρυθρόνιον.

Erythroxylon, fictum ex ἐρυθρὸς, ruber, et ξύλον, lignum. Corripitur ſyllaba *xy* in omnibus derivatis a ξύλον.

Esculus (Quercus) prorſus idem nomen, quod aeſculus, etſi Linnaeus nomen genericum per *ae*, et triviale *e* ſimplici ſcripſerit.

Esula (Euphorbium) vel Ezula, penult. producit, quia non tantum in lexico veteri legitur: ἔζουλα τὸ ὀξύπορον, id eſt, tithymalli ſpecies, ſed Myrepſ. *antidot.* 30 et 180: ἔζουλα ἡ χαμαίπιτυς. Sed Bodaeus a Stapel in Theophr. ita: Eſulae nomen a πιτυούσης luxatum videtur, duabus enim ſyllabis ſublatis, remanet οὖσα, cuius diminutivum *uſula*, et vocali prima mutata *eſula.* Idem creditum Caſp. Bauhino in *Pinace.* At huic opinioni et ζ praeſens repugnat, et quantitas τοῦ σου in *uſula*, quae brevis futura eſſet, ſi fuiſſet diminuti-

nutivum, vt videmus in pustula, pusula, item in vstulo ab uro, sic in regula, bacula, sportula, Albula cet. cum in lexico veteri et Myrepso evidenter producatur. Hactenus Borrichius. Martinius quidem vocem ex hebraica lingua derivare temere conatus est.

Evolvulus. Cum species huius generis Convolvolis adeo similes sint, vt Linnaeo ipsi primum convolvoli esse viderentur, (*Amoen. acad.* 4. p. 306. n. 121, 122), nec tamen recte ad convolvoli genus referri possint, voluit Linnaeus similitudinem nomine indicare, vocavitque hasce herbas Evolvulos, praefixo *e*, tanquam hoc Latinis idem sit, quod Graecis α privativum. Boerhavius, nisi memoria me fallit, vnam convolvuli speciem, quae minus volubilis est, appellabat: *convolvulum non convolvulum*, quae denominandi ratio hodie explosa est.

Euonymus, i. corripit, εὐώνυμος, i. e. arbor fausti nominis. εὖ, bene, feliciter. ὄνομα, nomen. Ironice sumptum, ait Tournef., quod animalibus nocere existimetur. Conf. Plin.

Eupatorium s. eupatoria, herba a Ponti rege, Eupatore nominata. Plin. 25, 6. Eupator, corripitur, sed Eupatoris habet penultimam productam.

Euphorbia, arboris nomen apud veteres, quam rex Juba inventor appellavit medici sui nomine. Plin. 25, 7. Fabricii *biblioth. graeca* XIII. p. 157.

Exacon. Plin. 15, 6. p. 369: *Galli exacon vocant, quoniam omnia mala medicamenta potum e corpore exigat per alvum.* Quibus verbis adſcripſit Harduinus haec: "Celticae vocis ori„ginationem e Graeco fonte qui repetunt, „ἀπὸ τοῦ ἀκεῖσθει, a medendo hoc vocabu„lum effictum volunt." Equidem ſyllabam mediam producendam cenſeo, cum vocabula in *acum* et *acus* a Barbaris deducta producuntur, vti Dordracum, Cameracum, Garlacus.

Excoecaria. Arbor Rumphio dicta excoecans, inde Lin. effinxit illud nomen, veteribus ignotum, quibus excaecator dicebatur is, qui excaecat oculos orbatque ſenſu. Denique vt ſcribatur per *ae*, non *oe*, praecipiunt magiſtri. Conf. Cellarii *orthogr.* p. 80.

Fabago, inis. F. (Zygophyllum). Media nominativi producitur; ſed vox auctoritate caret. Dicebatur haec herba recentioribus *Capparis leguminoſa*, quod adiectivum quidam mutarunt in Fabaginem; Latinis fuit adiectivum fabaginus, a, um. Nam Catoni eſt *acus fabaginum*, vbi pen. corripienda eſt.

Fagara, nomen ex Avicennae libro allatum a Cluſio ad Garc. *hiſt. arom.* 1, 23. p. 185. Corripitur, ſicut barbara, tartarus, cet.

Fagopyrum (Polygonum) corripitur; tanquam Latine dicas fagotriticum, πυρὸς, triticum.

Junius

Junius in *Nomencl.* Fagopyrum, inquit, pabuli genus, quod a ſimilitudine, quam cum fagina glande habet, vernacula lingua vocant Boekweit, quaſi faginum frumentum. — Hiſtoriam huius frumenti Saracenici expoſui in *Hiſtor. inventionum* 2. pag. 533. et 4. p. 310.

Fagus, i. F. φηγὸς a φάγειν, quod eius fructus eſui eſt.

Falcaria (Sium), a falce deductum nomen, vt puto, quoniam folia falci vel ſerrae ſimilia ſint. *Falcataria* autem vnde ſit, non novi.

Farfara (Tuſſilago). Matthiol. ad Dioſcor. 3, 109: "Tuſſilago Hetruſcis vulgo dicitur far„fara et farfarella, nomine a Romanis fortaſſe „deducto. Hanc enim ab iis farfariam voca„tam fuiſſe, teſtantur nomina Dioſcoridi falſo „adſcripta. Officinae hos vel illos ſequutae „eam farfaram appellant." — Plures de origine vocis ſententias collegit Martinius. Nomen certe dubiae ſcripturae, ſed corripi debet, cum de Farfaro, fluvio in Sabinis, Ovid. *metam.* 14, 330: *Namque tulit praeceps, et amoenae Farfarus vmbrae.*

Ferraria, herbae nomen Apuleio *de herbis.*

Ferula, frutex Plinio 13, 22. Corrip. Virg. *ecl.* 10, 25: *Florentes ferulas et grandia lilia quaſſans.*

Ferulago (Ferula) producitur, ſed ferulaginis corript. F. Cael. Aurel. *Thapſia, quam nos ferulaginem dicimus.*

Festuca, ae. producitur. Plin. 18, 17.

Ficaria (Ranunculus). Nostratibus Feigwurzel, quod in linguam latinam translatum puto.

Ficus. F. secundae ac quartae declinationis. Conf. Crenii *animadvers. philolog.* 10. p. 25.

Filago, producitur. Nomen fictum e lanugine, qua herba obducta est. Sic e *filum* derivata sunt: filare, filatus, filatim. Filago autem auctoritate caret.

Filipendula corrip. dicta ita a recentioribus propter radices tuberosas, e filo quasi pendentes.

Filix, icis, pen. corripit. Virg. *georg.* 2: *Et filicem curvis invisam pascit aratris.*

Fontinalis s. fontalis dicebatur Bauhino *hist. plant.* 3, 2. p. 769. species quaedam potamogeonis, inde primus Dillenius *hist. musc.* p. 254. nomen traduxit ad hoc genus muscorum.

Fragaria, ae. Latinis: *fraga, orum,* atque Apuleio etiam in singulari fragum, inde recentiores effecerunt fragariam.

Frangula (Rhamnus) corrip. nomen recens e frango, quasi lignum fragile.

Fraxinus, i. corripitur. Ovid. *met.* 10: *Et coryli fragiles, et fraxinus utilis armis.* Virg. *ecl.* 7, 65: *Fraxinus in silvis pulcerrima, pinus in hortis.*

Fri-

Fritillaria. Qui primus hanc plantam Clusio misit, pharmacopoeus Aurelianensis, *Noël Capperon*, hoc nomen indidit, quod eius areolae versicolores fritillum quodammodo aemulentur; vulgo *Lilium variegatum* ante dicebatur. Dodonaeus *meleagridem* appellare maluit, quoniam eius folia variis coloribus picta sunt, vti plumae meleagridis avis, quam vulgus gallinam, seu perdicem barbaricam aut Guineae vocare solet. Haec Clusius *plantae rar.* p. 154. conf. *Histor. invention.* 3. p. 300. At fritillus non est tabula illa areolis variegata, quam vocant nostrates Schachbrett, Galli *échiquier*, sed est vasculum poculo simile, quo coniecti tali mittuntur in alveolum.

Fruticans (Iasminum), mediam corripit. Silius Ital. 9, 205: *Rura magis, centum Cereri fruticantia culmis.*

Fumaria. Plin. 25, 13. fumi instar lacrimas proliciens.

Galactia (Clitoria), nomen a Browne fictum puto e γάλα, γάλακτος, lac, quia herba lactescens sit. Eodem modo e γάλα in vsu fuerunt iam veteribus galactites, galactopota, galaxia.

Galanga, ae. nomen ex Arabia petitum, quod Graecis recentioribus, Paulo Aegin. et Aetio, scribi-

ſcribitur γαλάγγας et γαλάγκας. Conf. Salmaſius *de homonymis* cap. 117. p. 211.

Galanthus, nomen novum e γάλα, lac, et ἄνθος, flos.

Galax; etiam hoc nomen e γάλα, lac, formatum eſſe, auctor eſt Ruellius p. 642. Sic inde iam veteres habuerunt γαλαξίας κύκλος, circulus lacteus in coelo, γαλαξίας λίθος, lapidis genus.

Galbanum (Bubon). Dioſcoridi et Galeno χαλβάνη. Penult. corripit. Lucan. 9. *Hic ebulum ſtridet, peregrinaque galbana ſudant.* Galbaneti vocem quidam frequentant, rectius facturi, ſi galbanatum dicerent. Nam Martial. 3, 82. verſu Jamb. ſen. *Iacet occupato galbanatus in lecto.* Haec Borrich. Conf. Voſſii *etymol.* p. 230. Martinii *lex. philol.*

Gale (Myrica), nomen e Germanico factum perhibetur in *Crit. botan.* p. 49. et in *Flora Lapp.* p. 298. Num ex Gagel, quod noſtratibus et Belgis in vſu eſt?

Galega, vox recentiorum, incertae originis; dicta tamen videtur, quaſi γάλα ἥγων, id eſt, lac promovens, atque ita penultimam producet. Borrichius.

Galeobdolon (Galeopſis), γαλεόβδολον, corripitur. Dioſcor. et Plin.

Galeopsis, idis. corrip. quaſi καλὴ ὄψις. Plinio 27, 9. eadem planta, quae galeobdolon. Tournef. galeopſis, inquit, nomen habet a γαλῆ,

γαλῆ, felis, quia eius flores felis faciem repraesentare exiſtimarint, qua de origine equidem dubito.

Galium. ſimplici L ſcribendum videtur, cum ſit a γάλα, lac. Nihilo ſecius apud Dioſcor. 4, 96. p. 282. duplici L ſcriptum legitur, etſi ipſe eandem originem comprobet. ὠνόμαςαι ἀπὸ τοῦ γάλα πηγνύειν ἀντὶ πιτύας αὐτό. i. e. vocatur ita, quod lac cogat et coagulet, coaguli vice. Conf. Galen. *de ſimplic. med.* libro 6. p. 91.

Genipa nomen Americanum eſſe exiſtimo. Marcgraph. *Braſil.* ſcribitur Janipha. Apud Thevetum occurrit nomen Genipat. Conf. Tournef. p. 658. et Bauh. *pin.* p. 434.

Genista. Ruell. p. 71, 166 et 649: geniſtam Latini veteres vocant, quia fortaſſe genu modo flexilis ad nexus ſit, et ligandis ideo vitibus idonea; vel quia genibus medeatur dolentibus. — Sunt, qui a *geno* derivent, quod ſponte genatur, i. e. gignatur.

Gentiana, ab inventore Gentio Illyriorum rege, vt tradunt Dioſcor. 3, 3. et Plin. 25, 7. γεντιανή. Pen. produc. vt a Rhenus Rhenanus, a Roma Romanus, a Thebis Thebanus, primanus, paganus. Borrich.

Geranium a γέρανος, grus. Herba ita dicta a ſimilitudine gruis capitis in ſummitate. Plin. 26, 11. Dioſc. 3, 131.

Gera-

Geraschanthus (Cordia). Etiam hoc nomen ex γεραὸς et ἄνθος, extortum videtur.

Geropogon, onis. Producuntur omnes casus. Antiquioribus botanicis, Gesnero aliisque, vocabatur Gerontopogon, quod nomen Linnaeus sua sponte contraxit. γερῶν, οντος et γεραὸς, ου, senex. πώγων, ωνος, barba. Ruellius pag. 452: Gerontopogon i. e. senilis barba. A Nicandro geraos pogon, hoc est, barba senis appellata, folio hirci barbulae, tenuiore longiorique, caule parvo, super quem calyx longus et barbula, quae summo vertice senum more incana funditur, inde presbyteri barba vulgo dicitur. Hactenus Ruellius.

Gethyllis, idis. F. Gethyon, i. Plin. 19, 6 et 7. est ceparum genus, idem quod γηθυλλὶς, ίδος.

Geum, i. nomen Plinianum.

Gigartinus (Fucus). Penult. corripitur. Temere a compluribus dicitur *gigantinus*, e. gr. ab Oedero, Gunnero; sed Linnaeo dicta est ista species *gigartina* a nomine Graeco γίγαρτον, quod Latinis est *vinaceum*. Nam vtrumque significat non solum acinos expressos, seu grana acinorum, sed totam quoque vuarum expressarum massam. Videsis quae docuit Niclas ad *Geoponic.* VI, 11, 3. p 451. Linnaeus quidem ita fucum appellavit ob similitudinem fructificationis globosae, instar acinorum, vel seminis Brassicae minoris. Male

Esper

ESPER *icon. fucorum* pag. 17. perhibuit nomen graecum esse γιγαρτινον.

GINGIDIUM, nomen iam vsque a Plinio tempore vsitatum.

GINORA. In memoriam C. Ginori a Jacquin dicta Ginoria, quod nomen Linnaeus contraxit. Conf. Jacquin *hist. stirp. Americ.* p. 249. aut edit. splendidissimae p. 73. Böhmer p. 102.

GITHAGO, inis (Agrostemma), factum ex gith s. git, quod indeclinabile legitur apud Plinium et Scribon. Nominativus producitur, vti plantago; genitivus corripitur.

GLAUCIUM (Chelidonium), Plin. Dioscoridi γλαύκιον, herba, quae vulnerata praebet succum luteum.

GLAUX, aucis. Plin. Graecis γλαῦξ.

GLECOMA. Glechoma, inquit Lin. in *horto Cliff.* p. 307, a γλήκων Dioscoridis confectum, antiquum, hoc in genere fixum posui vocatum. At erravit vir praestantissimus, nam Graecis dicitur γλήχων, ωνος, vnde Plinio glechon, onis. Quam ob causam recte scribitur per *ch*, et pen. producitur.

GLINUS. At Plinius 2. p. 13. glinon, i. γλεῖνον.

GLOBULARIA dicta a figura floris. *Phil. bot.* p. 162. Latini quidem vocarunt *globosum* id, quod in formam globi seu sphaerae formatum est.

GLO-

GLORIOSA. Lin. *hort. Cliff.* p. 121. Methonicae nomen reiicio, eiusque loco ſynonymon Glorioſa recipio, cum flores prae reliquis omnibus gloriam ſplendoris et pulcritudinis ferant; dein longe aptius datur hoc epitheton huic plantae, quam yuccae glorioſae dicta. Haec Linnaeus. Scilicet Burman. *Zeyl.* 158. vocaverat herbam *Methonicam glorioſam.*

GLUTA. In medio relinquam hoc nomen, quod non ita pridem irrepſit. Ante aliquot ſaecula gluten, quod hodie ichthyocolla dicitur, dicebatur gluta.

GLYCINE, es. A γλυκὺς, dulcis, Linnaeo dicta. Producitur, vt Nerine, aparine, et quae ſunt his ſimilia.

GLYCYRRHIZA, ae. i. e. radix dulcis. Nomen Dioſcoridi, Plinio ac medicis vſitatum producitur; etſi ſint lexicographi, qui corripiant. Vtor auctoritate Theocriti 25, 210: Εὑρὼν, σὺν πυκινῇσιν ὁλοσχερὲς ἔσπασα ῥίζῃς. *Inventam vna cum denſis radicibus evulſi integram.* Sic etiam Homer. *iliad.* 9, 538. Nolo tamen reprehendere eos, qui corripiunt. Certum eſt enim, vocalem ancipitem ι plerumque ſyllabam corripere, potiſſimum ſequente ζ.

GNAPHALIUM iam Plinio dictum a γναφάλον, tomentum, herba lanuginoſis foliis mollibusque praedita. Conf. Galen. *de ſimplic. medic. facultat.* lib. 6. p. 92.

GNE-

GNETIUM. Colum. 7, 8, 1. ad lac cogendum commendat ſemina gneti vel cneci; nam codices variant, neque alibi hoc nomen, quod ſcio, offenditur.

GNIDIA. Gnidus ſ. Cnidus fuit Cariae vrbs, Veneri dicata, inde Venus Gnidia dicta. A Plinio commemoratur gnidium granum, a Dioſcoride cnidium oleum. At quid fuerit in cauſſa, cur inde haec planta cognominata ſit, non novi. Daphnes vero ſpecies vocatur Gnidium, quia ſemina iſtius fruticis putabantur olim eſſe grana gnidia veterum.

GOMPHRENA. Vt novum nomen exprobratur Linnaeo a Burmanno in *Theſauro Zeylan.*, ſed eo iam Dalechampius ac Bauhinus vſi ſunt; apud Plinium autem non occurrit, cuius auctoritate illud probare voluit Lin. in *horto Cliffort.* p. 87. A γόμφος, clavus derivatur in *philoſ. bot.* p. 181, qua voce gompho vſus eſt etiam Statius *ſilv.* 4, 3, 48. Bauh. *hiſt.* 2. p. 970. auctor eſt, nomen ſcribi etiam Cremphena atque Comphena. Neſcio, an rectius Gomphena. Solemus penultimam producere, vti in catena, Antenor, Galenus. Saltem *e* ſimplici, non diphthongo eam ſcribere debemus.

GOSSYPIUM. *Frutex*, inquit Plinius 19, 1. *quem aliqui goſſypium vocant, plures xylon.* Haec quidem vox omnino Graeca eſt, ſed goſſypium exotica, fortaſſe Aegyptia. Conf. Voſſii *etymol.*

Granadilla (Passiflora) a voce Hispana Granada, seu mali Punicae fructu, ad quem granadillae fructum accedere existimarunt. Haec recte Tournefortius. Hispani rebus in America repertis nomina indiderunt a rebus Hispanis, quarum ad similitudinem illae accedere videbantur; distinxerunt vero res Americanas deminutivis nominibus, tanquam eas suo fastu contemnerent. Hoc modo ipse Columbus insulam, ad quam primus navem appellebat, nominavit Hispaniolam; eodem modo ficta sunt nomina: sassaparilla, cochenilla, platina atque sexcenta alia, quo de argumento disseruimus in *histor. inventionum* 3. p. 28. et 4. p. 282.

Granatum (Punica). Nomen est a granorum rubentium et succulentorum, quae gremio complectitur malum, multitudine. Columella 12, 41: *mala dulcia granata, quae Punica vocantur.* Vt appareat, natales eius non prodiisse e regione Hispaniae Granata, sed potius Granatam, vel a malis granatis, vel granis tinctorum, copiose istic locorum nascentibus nomen meruisse. Penult. producit, quasi esset a grano, granavi, granatus. Haec Borrichius.

Gratiola, planta veteribus forsan incognita; officinae gratiolam vocavere, quasi parvam Dei gratiam, propter singulares virtutes, ἄνω et κάτω purgandi. Penult. corripit, vt cetera deminutiva, laureola, areola, bracteola. Borrich.

Grias,

Grias, adis. corript. F. herba, quam deſcribit Apulej. *de herbis* cap. 50.

Grossularia (Ribes), nomen veteribus inauditum, qui e groſſus, i. e. ficus, fecere deminutivum *groſſulus*, quo vſus eſt Columella.

Guajacum, Indis Guaacan et Guajacan, quomodo autem iisdem pronuncietur, non admodum liquet. Quia tamen latina terminatione donarunt officinae, Latinorum more, vt alia in *acum* et *aca* deſinentia producemus. Ita farracum Juvenali penult. producit. Imitantur pronunciationem hanc Tornacum, Durlachum, Andernachum, vrbes. Neque aliter exprimitur cloaca Juvenali, lingulaca Plauto, paſtinaca Macro, et Marcello portulaca. Borrich.

Gynandria. Vnum habeo, quod de hoc nomine, cuius originem ac notionem norunt botanici ad vnum omnes, adferre queo, neque hoc magni momenti eſt. Nimirum Linnaeus neque primus fuit, qui compoſuerit, neque primus qui eo vſus ſit. Forte accidit, vt dum alia ſcrutarer, idem nomen reperirem in libro, qui inſcribitur: *Mundus alter et idem*. Ultraj. 1643. 12. Ibi lib. 2. cap. 7. p. 111. terra Amazonia perhibetur vocari quoque Gynandria, quod nomen in interpretatione Germanica, edita Francof. ad M. 1708. 8. redditum eſt das Siemännerland. Cum huius libri mentionem iniecimus, liceat eos, qui plura de eo ſcire volunt, ablegare ad Crenii *animadv. philol.* 8. p. 55. *Biblioth. Stollianam* 15. p. 597.

 Bayle

Bayle *diction.* art. *Hall.* not. G. Naudaei *bibliogr. polit.* p. m. 32. Paſchium *de modis tradendi moralia* p. 216. Fabricii *bibliogr. antiq.* XIV. §. 16. p. 729. Auctor Fabricio et Paſchio dicitur *Albericus Gentilis*, Baylio *Joſ. Hall*, ſed Crenio *Jonas Prooſt.* Equidem ſuſpicor, auctorem noſtrae nationis fuiſſe, ſi quidem complura nomina mutuatus eſt a noſtratibus. Hanc digreſſionem aequi bonique faciant lectores, rogo, qua taedium, quod nominum perpetua explicatio affert, levare volui.

Gypsophila. Nomen veteribus indictum, denotat herbam, amantem ſolum, cui magna pars gypſi immixta eſt.

Haemanthus. Nomen recentiori aevo fictum ex *αἷμα*, ſanguis, et *ἄνθος*, flos, ob floris colorem ſanguineum. Haemanthi vocem, inquit Dillenius in *horto Eltham.* p. 167. qua primum vſus Hermannus in horto Lugd. non tam de ſolo perianthio, quod vulgari ſpeciei bifoliae inſigniter coloratum eſt, quam ipſo potius flore poſthac interpretandam eſſe, haec planta (H. puniceus) ſuadet. Id enim in hac ſpecie nec ſanguineo, nec alio inſigni colore diſtinguitur, ſed herbaceo ignobiliore gaudet.

Haematoxylum. *αἷμα*, ſanguis, *ξύλον*, lignum, quo decocto vtuntur infectores, qui lignum Campechianum vocant.

Hali-

Halicacabus (Cardiofpermum). Plinio etiam halicacabum. N. ἀλικάκαβος Diofcoridi. Penult. corripit.

Halimus, i. M. (Atriplex) penultima correpta. Plin. ac Diofcor. 1, 120. p. 62. ἄλιμος.

Hamamelis, idis. ἁμαμηλὶς, ἶδος, dicitur Graecis genus quoddam pyri, mefpili aut ficus, ex eo, quod cum malo floreat. ἅμα, fimul. μηλὶς, ἶδος, malus arbor. Conf. Stephani index in *thefaur. gr. ling.* p. 368. Penult. producenda propter η.

Harmala (Peganum). Pen. corripitur. Graecis ἅρμαλα et Apulejo *de herbis*, cap. 69. eft ruta filveftris, quae aliis dicitur πήγανον ἄγριον. Quae herba hodie duplicata voce appellatur *Peganum harmala*, ea ad affinitatem rutae proxime accedit. Conf. quae annotavimus ad Antigoni Caryftii *hiftor. mirab.* cap. 41. p. 69.

Hedera. Media corripitur. Propert. 1, 2, 10: *Et veniant hederae fponte fua melius* Sine adfpiratione fcribi debere, praecepit Junius Philargyrius in Virgil. *eclog.* 3. quem refellunt majorum gentium magiftri. Terentianus Maurus, in Tractatu *de fyllabis*, vbi de littera H:

Vna nam fpiramen addit omnibus vocalibus,
Hafta quando, et Hedera dicis, Hifter, Hofpes atque Humus.

Rationem reddit Jo. Jovianus Pontanus L. 1. *de afpirat.* fcilicet vt differret *hedera* a quibusdam temporibus verbi *Edo* (vnde denominatam volunt) *ederam*, *ederas*, *ederis;* quod fe-

quitur G. J. Vossius in *Etymol.* Conf. Broukhuis ad Propertii l. c.

Hedycaria. Nomen novum, cuius ratio mihi non liquet. ἡδὺς, suavis, iucundus. ἡδύκαρπος, suaves fructus habens.

Hedyotis, is. ex ἡδὺς, suavis, et οὖς, ὠτὸς s. ὠτὶς, auris. penult. igitur producenda. Haec planta est, qua vsus est quondam adversus surditatem, Marlovius, medicus, qui medicamenta specifica, in India orientali quae didicerat, in Europa ita iactavit, vt bene inde ditesceret. Celabat autem sedulo plantam, quam Auriculariam vocabat, quod nomen legitur in Dale *pharmac.* p. 160. Tandem Linnaeus in scriptis P. Hermanni, qui diu in insula Ceilonia fuerat, reperit, esse hanc plantam, quae nunc Hedyotis dicitur, medicamentum specificum contra surditatem, atque hoc modo agnovit Lin. auriculariam Marlovii, cui inde imposuit nomen *hedyotis.* Conf. *amoen. acad.* I. p. 117. *mater. med.* ed. Schreberi p. 49.

Hedypnois, idis. in accusat. hedypnoida. (Hyoseris). Corripit penult. Plinio et Graecis erat intybus silvestris.

Hedysarum, ἡδύσαρον. Marcel. apud Dioscor. a suavitate odoris sic nominatum censet. Apud Latinos non occurrit.

Helenium Plinio 21, 10. e lacrimis Helenae dicitur natum. Dioscor. 1, 27, 28. ἑλένιον.

Corri-

Corripitur. At conf. Böhmer *de plantis in honor. nominatis* p. 113.

Helianthus et Helianthemum, quod pen. corripit. ἥλιος, sol. ἄνθεμος, flos. Lin. *critica botan.* p. 97. "Quis adspiciet helianthum, flo„rem solis, florentem, cuius magni flores „aurei vndique radios emittunt, ex disco orbi„culato, quin admiretur speciosissimum florem „ex solis figura; ex qua admiratione mox „menti occurrit nomen, vt et ex nomine solo „viso, admirata floris idea." Hactenus Lin. — Plin. 24, 17. p. 352: *Helianthes — — qua cum adipe decocta perungunt corpus, vt fiat adspectu iucundum. Ideo eandem heliocallidem nominant.*

Helicteres. Novum nomen ex ἕλιξ, volumen, convolutum, vel potius ex ἑλικτὴρ, ῆρος, armilla, quae cuncta derivantur ab ἑλίσσω, volvo. Ideo fortasse rectius fuisset nomen helicter, eris. Certe penult. producenda propter vocalem η.

Heliocarpus s. fructus solaris. "Quis viderit „unquam fructum plantae subrotundum, mar„gine longitudinaliter cincto radiis radiatis, „cui non succurrat idea solis, ex conceptu „pictorum; haec idea combinata semel cum „nomine Heliocarpus, ita coniungitur, vt „planta, vel nomen, occurrat nunquam, quin „et alterius occurrat idea." Ita Lin. *critica botan.* p. 97.

HELIOPHILA. Novum nomen ex ἥλιος, ſol; φίλος, amicus; quaſi ſolem amans. Pen. corripitur, ſicut Theophilus.

HELIOTROPIUM. ἥλιος, ſol; τρέπω, verto. ἡλιοτρόπιον. Varro R. R. 1, 46: *Nec minus admirandum, quod fit in floribus, quos vocant heliotropia ab eo, quod ad ſolis ortum mane ſpectant, et eius iter ita ſequuntur ad occaſum, vt ad eum ſemper ſpectent.* Plin. 2, 41: *Miratur hoc, qui non obſervet quotidiano experimento herbam vnam, quae vocatur heliotropium, abeuntem ſolem intueri ſemper, omnibusque horis cum eo verti, vel nubilo obumbrante.* Conf. 22, 21. et 18, 27. At magna eſt frequentia florum, qui ſolem ſequuntur, quo pertinent inprimis reſeda et flores ſemifloſculoſi. Conf. *Familles des plantes par* Adanſon 1. p. 55. Lin. *critica botan.* p. 173. Dodonaeus *pempt.* 70. auctor eſt, nomen eſſe ab eo, quod heliotropium ſolſtitio floreat, quo tempore ſol longiſſime ab aequinoctiali circulo digreſſus ad ipſum rurſus converſionem facit.

HELIX, icis. F. corripitur. Plinio eſt ſpecies hederae.

HELLEBORUS, i. Corripitur. Virg. *georg.* 3, 451: *Helleboroſque graves, nigrumque bitumen.*

HELVELLA. Latinis plurale tantum helvellae, arum. F. Generale eſt vocabulum minutiorum herbarum ſ. oluſculorum.

HEME-

Hemerocallis, is. F. κάλλος, εος, pulcritudo. ἡμέρα, dies. Flos vnico die vigens, iam Dioſcoridi ac Plinio dicta.

Hemimeris. F. ἡμιμερὶς, ex ἧμι, i. e. ἥμισυ, dimidium, et μερὶς, pars; ſemipars. Penult. corrip.

Hemionitis, idis. F. ἡμιονῖτις, ιδος, mularis, adiective ab ἥμιονος, mulus, ſed etiam abſolute, vel ſub audito nomine πόα, vel etiam βοτάνη, herba, quae Galeno ac Dioſcoridi eadem eſt, quae Aſplenium. Pen. producitur. Dicitur quoque hemionium.

Hepatica (Anemone) a medicis medii aevi dicta eſt ex eo, quod contra morbos hepaticos valere iis credebatur. Lichenis autem ſpecies idem nomen traxit, auctore Ruellio p. 603. quod iocinerum fibris ſimilia conſpiciatur. Eam eſſe Marchantiam polymorph. opinor.

Heracleum, etiam heracleos, heraclea, heraclia, ſunt veteribus herbarum nomina, quae ab Hercule dicta ſunt, quae omnia producunt pen. cum Graece ἡράκλειος. Poteſt accidiſſe, vt quaedam herbae nomen acceperint ab vrbe aliqua Heraclea; nam aliquot civitates vocabantur Heracleae, quaſi Herculi ſacrae, vel quae referrent origines ſuas ad Herculem. Heracleoticus, a, um. i. e. Heraclea oriundus. Ita heracleotica nux, atque Plinio 25, 4. origanum heracleoticum, i. e. Ponticum, ab vrbe Ponti, Heraclea, vbi, ex opinione medicorum, origanum maiore pollebat effectu.

Quae cum ita ſint, recentioribus demum venit in mentem, nomen Heracleum referre ad Heraclidem, patrem Hippocratis.

Hermas, neſcio, vnde ſit nomen tractum. Graecis ἡρμὰς, ἀδος, eſt ſcopulus occultus in mari.

Hermodactylus, pen. corripit. Radices digitorum ſimilitudinem referunt, adiectis etiam vnguibus. Ex quo plantae nomen eſt inditum. *Hermodactylus* Mercurii digitum ſignificat. Planta veteribus fuit ignota. Evagrius in *hiſtor. eccleſ.* cap. 24. p. 463. meminit medicamenti ex hermodactylo confecti. Conf. ad eum locum Valeſii annotat. pag. 127.

Herniaria. Nomen recentiorum medicorum a ſanandis herniis.

Hesperis, idis. Vbique pen. corripit. Herba apud Plinium 21, 7. nomine invento, quod noctu illa magis oleat.

Hexastichum (Hordeum), pen. corrip. ἑξάστιχος, ſenis conſtans ordinibus. στίχος, ordo. Colum. 2, 9.

Hibiscus et ibiscus, i. M. veteribus erat herba radicis laudatiſſimae, de genere ſilveſtrium malvarum.

Hieracium, ab ἱέραξ, accipiter. Plin. 20, 7. p. 197. hieraciam, inquit, vocant, quoniam accipitres ſcalpendo eam, ſuccoque oculos tingendo, obſcuritatem, cum ſenſere, diſcutiant.

tiant. Conf. Ael. *hiſt. anim.* 2, 43. et Apulej. *de herbis.* Hieracium Plinio eſt collyrium.

Hippocastanum (Aeſculus) pen. corrip. Eſt caſtanea equina, Roßkaſtaneen. Latini vero dicunt *caſtanea*, *ae*, non *caſtanum*, *caſtana*, etſi Graeci τὸ κάςανον. Virg. *eclog.* 2, 52: *Caſtaneasque nuces, mea quas Amaryllis amabat.* Turcae patria lingua vocant etiam caſtaneam equinam, quoniam fructus tuſſientibus et anheloſis equis plurimum auxilii afferre credunt. Conf. quae de pulcra hac arbore diſputavimus in *Hiſtoria inventionum* 1. p. 498.

Hippocrepis, idis, ἵππος, equus, κρηπὶς, ἶδος, ſolea, ſoccus. Ideo producenda penultima nominativi, quam reliqui caſus corripiunt. Adſcribamus quae de hoc nomine Lin. *critica bot.* p. 97. "Quis viderit ſoleam ferream equo„rum, qui non a primo intuitu fructum fe„rentis plantae non exclamabit admirabilem „iſtam ſimilitudinem fructus cum ſolea equina. „Quis vnquam admirabitur nominis rationem, „qui vnquam viderit plantam. Eiusmodi no„mina dextram plantae porrigunt, et dextram „plantae nomini porrigunt. Talia optima „omnium ſtatuo, ſi cum ſpeciebus generis „omnibus conveniant." — Denique nihil refert de novitate nominum: *ſolea equina* et *hippocrepis*, monere, cum ſoleae equorum ferreae recentioris inventionis ſint. Videſis noſtram *hiſtor. inventionum* 3. p. 122.

Hippomane. Dicenda fuiſſet arbor venenata *hippomanes*. N. indeclinabile. ἱππομανὲς ab ἵππος, equus, μανία, inſania, furor. Pen. corripitur, teſte Virg. *georg*. 3, 281: *Hippomanes, quod ſaepe malae legere novercae.* Nomen eſt etiam aliis rebus commune, de quibus diſputatum eſt a nobis ad Antigoni Caryſtii *hiſtorias mirabiles* cap. 24. p. 39. De planta hippomanes dicta, locus claſſicus eſt Theocriti *idyl.* 2, 48.

Hippomarathrum (Seſeli) pen. corripit. μάραθρον, marathrum, foeniculum, ἵππος, equus; quaſi foeniculum equinum. Plin.

Hippophae. Plin. 21, 15. et 22, 12: hippophaes ſ. hippophyes, is. F. frutex, quo fullones vtuntur ad interpolandas veſtes, de quo, ſicut de nomine, quod vario modo ſcribitur, diligenter egit Foeſ. in *oeconomia Hippocratis* p. 286. Nomen eſt quatuor ſyllabarum, et penultimae, quae corripitur, ſuperſcribantur puncta diaereſeos.

Hippuris, idis. F. ἱππουρις, ἵππος, equus, οὐρά, cauda. Veteribus eadem herba, quae equiſetum.

Hirtella. *Hort. Cliffort.* p. 17: hirtellam dixi plantam ob ramorum tenellorum hirſutiem. — Quod edocuit praeceptor hanc cognominandi rationem, fecit plane bene; alioquin eam vix quisquam potuiſſet coniectura adſequi.

Holcus, i. M. ὅλκος. Plin. 27, 10.

Holo-

Holoschoenus, i. M. ὁλόσχοινος, iunci genus Plinio 21, 18. ὅλος, totus, σχοῖνος, iuncus. Ita ὁλόχρυσος, totus ex auro factus.

Holosteum, ὁλόστεον, herba ſine duritia, per antiphraſin ſic dicta, cum ὁλόστεον proprie ſit, quod ex ſolido oſſe conſtat. Dioſcor. 3, 11. Plin. 27, 10.

Horminum, i. ὅρμινον. pen. producitur, auctoritate Nicandri. ὁρμὴ, impetus, appetitus, cupiditas. Namque herba Dioſcor. 3, 145. δοκεῖ συνουσίαν παρορμᾶν, i. e. videtur Venerem exſtimulare.

Hottonia. Nomen indidit Boerhavius in *Horto Lugdun.* ab anteceſſore ſuo Petro Hottone, rogans magnopere omnes botanicos, vt ſervarent illud. Noluit itaque Linnaeus non accipere hoc nomen, etſi Hottonis in botanicam merita deſideraret. Neque ille quidquam ſcriptum reliquit, praeter quam orationem de re herbaria. Conf. Böhmer *de plantis in honorem nominatis* p. 119.

Humulus. Neque hoc nomen, neque *lupulus*, reperitur in libris veterum, neque certo conſtat, an herba iis cognita fuerit. Certe vſum ad cereviſiam perficiendam recentior aetas excogitavit. Quocirca nec originem iſtorum nominum ſtatuere licet. Qui vero coniecturas deſiderat, legat, quae allatae ſunt a Du Cange, a Krünitz in *Encyclopaed.* 25. p. 71. et a J. F. Treſenreuter in wirthſchaftlicher und rechtlicher Abhandlung vom Hopfen. 1759. 4.

Penul-

Penultimam corripimus, ſi quidem deminutivum eſſe videtur. Conſtitui, ſi Deo placet, anquirere omnia, quae ad hiſtoriam huius plantae pertinent, vt eam hiſtoriae noſtrae inventionum poſſem inſerere.

Hura, nomen barbarum ex Gujana.

Hyacinthus, i. M. Puer dilectus Apollini, quem cum Apollo imprudens diſco necaſſet, vertit in florem illius nominis, in quo duae litterae inſcriptae cernuntur αι, quae vox lugubris, hoc eſt dolentis, interiectio eſt. Vulgo creditur, primam huius generis ſpeciem eſſe hyacinthum poetarum, cui tamen ne veſtigium quidem iſtarum litterarum ineſt. Inſunt vero flori Delphinii, quod ideo a Linnaeo dictum eſt Ajacis. Conf. quae voce Ajacis iam attulimus et Bauh. *pin.* 141. Hinc intelligitur, cur ſpecies hyacinthi dicta ſit *Hyacinthus non ſcriptus.*

Hybanthus (Viola). Num ex ὑβὸς, curvus? quaſi flos curvus. Reſpondeat Jacquin, quem iam adire non licet.

Hybridum (*Trifolium*). Plantae *hybridae.* Generatio *hybrida*, de qua diſputatum eſt in *amoenitat. academicis* 3. p. 28. et 6. p. 292. Antiquum ſane vocabulum eſt, quo genus aliquod mixtum omnino ſignificatur, et fetus ex iis, qui multum inter ſe differunt, veluti qui patre Graeco et matre barbara olim natus erat. Hinc *voces hybridae*, quae compoſitae ſunt ex diverſis linguis, v. g. Graeca et Latina, vt

mono-

monoculus. At Latinis non adiectivum fuit *hybridus, a, um*, sed dixerunt *hybridam* sexum quemcunque. Sic *canes hybridae*, qui imparibus parentibus nati, hoc est ex venatico et gregario. Sic *sues hybridae* ex fero et domestico sue prognati. Sic dicimus cum Plinio *vinum indigena*. Ceterum penultima corripitur. Horat. *satyr.* 1, 7, 2. *Hybrida quo pacto sit Persius vltus, opinor.*

Hydnum. Graecis ὕδνον, tuber terrae, tuber.

Hydrangea. Nomen fictum ex ἄγγος, vas, dolium, vrna, et ὕδωρ, aqua.

Hydrastis. Herba in prima editione *Specier. plant.* relata erat ad Hydrophylla, quibus similis est. Iam cum peculiare genus constituat, retinuit Linnaeus quidem nomen ab ὕδωρ, aqua; at nescio quomodo transformatum. *Hydrastina* quidem Apulejo est cannabis agrestis.

Hydrocharis. ὑδροχαρής, aquis gaudens. In Homeri *batrachom.* ὑδρόχαρις nomen est ranae. Penultimam corripit, quem ad modum Baccharis.

Hydrocotyle. ὕδωρ, aqua. κοτύλη, vas. Corripitur, vt cotula s. cotyle.

Hydrolea. Τὸ ὕδωρ facile agnoscimus, at quod adsuerit Linnaeus non item. Τὸ λεῖον est laevor, item pulvis. Videant alii, num congruat. Quod si videbitur, debebimus penult. producere.

Hydro-

Hydrophylax, acis. M. ὑδρόφυλαξ, aquarum custos seu curator. Nominativo pen. corripitur, sed casibus obliquis producitur, sicut Ajacis.

Hydrophyllum. ὕδορ, aqua, φύλλον, folium, quasi tu dicas folium aquaticum. Cur autem Morinus hanc plantam sic appellarit, obscurum, cum locis pinguibus quidem delectetur, sed non multum aquasis. Haec Tournefort. p. 82, qui Hydrophyllum virginianum cogitavit.

Hydropiper, eris. N. (Polygonum). Penultima corripitur, Dioscoridi 2, 191. ὑδροπεπερι, ὑδροπεπερεως. "Nomen, ait Ruellius, vt Ga„lenus est auctor, a locis, quibus nascitur, et „piperis sapore, quem prae se fert, possidet, „quasi piper dixeris aquatile. Nam iuxta stan„tes aquas et profluentes pigro lapsu provenit. „Quare a natali solo et pipere, quod gustu „imitatur, appellationem contraxit." Agapius in *Geoponico* cap. 144. dixit ὑδροπίπερον. Conf. Du Cange *gloss. graec.* p. 1627.

Hymenaea. Habet duo folia in vno petiolo, sicut Cynometra, a qua tamen flore ac fructu differt. Quoniam folia noctu connivent, traxit nomen a deo nuptiali, deinde etiam nomen spurcum Cynometrae facile potuit Hymenem s. deum hymeneum et illud, quod anatomicis ita dicitur, in memoriam redigere.

Hyobanche, cuius nominis novi originem edocere nequeo. Videtur compositum ex Orobanche,

banche, vt ſit Orobanche porcina. Sic hyophthalmos eſt porcinus oculus. Certe Pet. et Pluken. ad orobanches genus herbam retulerunt, quae nunc proprii generis eſt.

Hyoscyamus, ὑοσκύαμος, ex ὗς, ſus, et κύαμος, faba, faba porcina, faba ſuilla. Dioſcor. 4, 69. ex eo, quod apri eius paſtu reſolvantur et convellantur, praeſenti mortis periculo, niſi aqua copioſa, ſtatim ſe foris et intus polluerent, vt Aelianus prodidit. Bauh *pin.* p. 169. Pen. corripit. Q. Seren. *Si quis hyoſcyamum guſtarit lacte capellae.*

Hyoseris, idis, aut is. F. Plinio 27, 10. hyoſiris eſt intubo ſimilis. Rectius hyoſeris, ὑοσερὶς. Nam σέρις intubum eſt, non σίρις. Niſi forte ὑὸς ἶρις quispiam interpretetur, quod vereor, vt probari queat. Haec Harduin. p. 432. Pen. corripiendam opinor.

Hypecoon. i. ὑπήκοον Dioſcor. 4, 68. Plin. 27, 11.

Hypericum. ὑπέρικον. Plin. 26, 8. Corripitur. Format genitivum hyperici, vt ex Dioſcor. 3, 171, 172. et Plin. 26, 8 diſcimus, non hypericonis, vt perperam officinae, quibus oleum hypericonis frequenter in ore eſt. Borrich.

Hypnum. ὕπνος, ου, ſomnus. "Apud Aëtium „*ſerm.* 12. cap 44. et *ſerm.* 13. cap. 117 et „118. hypni vox occurrit, ſynonyma Sphagni, „Splanchni et Bryi, quibus muſcum arboreum „ſeu Uſneam deſignavit, ingredientem compo-

H „ſitiones

„ſtiones quasdam medicinales, vnde nomen „illud transtuli huc, et muſci generi pro„prium feci, quod hactenus ſub muſci ramoſi „repentis et ſquamoſi nomine incertis finibus „vagatum fuit. Cum vero res odoratae ob „ἀναθυμίασιν ſomnum provocent, non im„propria cenſebitur hypni appellatio, ſi ob „iucundum, quem multae ſpecies ſpirant, „odorem hypnotica vi praeditae eſſe exiſti„mentur." Ita Dillenius *hiſt. muſc.* p. 261.

Hypochaeris. At Plinio hypochoiris per *oi*, et ſic Theophr. ὑποχοιρὶς, ἴδος. χοῖρος, porcus.

Hypocistis, idis (Aſarum) corripitur. Ex ciſti radicibus proſilit, inde nomen, auctor. Dioſcor. ac Plinio.

Hypogaea (Arachis) male. Recte hypogea, penultima producta ab ὑπόγειος, ſubterreſtris. Quod nomen iam ante Linnaeum in vſu fuit, atque in herbam bene convenit. Nam flores ac legumina in ſuperficie terrae, ſeu, vt Plinius loquitur, in corio terrae enaſcuntur. Conf. Schöpf Reiſe nach Nordamerika. 1. p. 545.

Hypoglossum (Ruſcus), e Graeco Dioſcoridis ὑπόγλωσσον, Plinius autem habet hypogloſſa, ae. Herba habens folia ceu linguas. Conf. Galen. *de ſimplic. medic. facultat.* lib. 8. p. 128.

Hypophyllocarpodendron (Leucadendron); i. e. arbor fructu hypophylli. Merito reiicitur

tur ad ſeſquipedalia verba nocitura ſono, guttur laeſura loquentis, qualia vt aſpernemur, praeſcribit *philoſ. botan.* p. 199.

Hypophyllum (Ruſcus) ſub folio, ſcilicet habens flores, ſeu habens folia ſubtus florifera. Nomen nullo exemplo factum bene convenit in hunc fruticem.

Hypópithys, ios. F. (Monotropa) a Bauhino fictum nomen e πίτυς, picea, quia ſub piceis, abietibus et pinaſtris provenit. Ideo penultima ſine adſpiratione ſcribitur, quem ad modum Bauhinus *prodrom.* p. 31. ſcripſit: hypopitys. Corripitur eadem cauſſa, qua chamaepitys.

Hypoxis, eos. F. ὕποξυς eſt leviter acuminata ſeu ſubacuta herba, vel ſubacida. Nullo exemplo confictum nomen a Linnaeo, vt equidem opinor.

Hypoxylon (Clavaria) i. e. ſub ligno proveniens.

Hyssopus. ὕσσωπος. Temere corripitur, cum penultima graece habeat ω. Producitur etiam a Q. Sereno v. 479. *In vino prius hyſſopum, validam quoque rutam.*

Hystrix, icis. F. (Elymus) traxit nomen a paniculis echinum referentibus; eſt enim hyſtrix ex erinaceorum ſ. echinorum terreſtrium genere. Penultimam in obliquis caſibus corripit Calpurnius *ecl.* 6, 13: *Venit et hirſuta ſpinoſior hyſtrice barba.*

Iacea. (Centaurea). Sunt lexica, quae nomen Plinii auctoritate probare velint, qui eo non vſus eſt. Plurimi ab ἴον, viola, ſeu potius a plurali ἴα, violae, deducunt. Quae eſt etiam ſententia Bauhini *hiſt.* 3. p. 28. "Iaceae, in„quit, habent flores violacei coloris, vt et „nomen forſan illis impoſitum eſt. Ia enim „Graecis violae ſunt; quamquam iaceae nomen „vetus non eſt. Scaliger alicubi Getiam pro „Iacea ſcribit, tanquam a Geo facto nomine, „nimirum quod nigra cognominata in hoc „genere radices, vt Geum Plinianum, odora„tiſſimas habeat, vt ipſe ſcribit; ego hactenus „odorem illum non inveni." Hactenus Bauh. Ruellio p. 592. auctore herba vulgo potularia officinis nominatur *alba iacia*, ſed neſcio, an idem ſit nomen. Plerumque iacea producitur. ſed rationem non facile perſpicio. Quodſi ex plurali numero vocis graecae ἴον formatum ſit, videtur Iacea eſſe quatuor ſyllabarum. Equidem non decerno, ſed non comprobo, quae leguntur in *Dictionnaire de Trevoux:* "ce mot „vient de *jacere*, être couché par terre. On a „donné ce nom à cette plante, à cauſe que „pluſieurs de ſes eſpeces ſont couchées par „terre."

Iacobaea (Senecio). Flos divi Iacobi, quia circa diem Iacobi floret. Neſcio, an rectius ſcribatur *e* ſimplici, vt alia nomina poſſeſſiva: pythagoreus, ſophocleus, heracleus, quorum penultima graece ειος producenda eſt.

Ialapa

Ialapa (Admirabilis) incertae pronunciationis eſt, niſi quod tutius videatur penultima producenda, quia mercatores, haud dubie more gentis, vnde ad nos radix deportatur, gialappam duplicato p, exprimere non dubitant. Nam in Latina analogia hic nihil praeſidii, *papa* ſeu *papus* quidem Juvenali producit penultimam, ſed eidem et Martiali penult. corripit *alapa*. Borrich.

Iasione, es. F. Theophraſto 1, 21. eſt ἰασιώνη, ergo penult. producenda, etſi lexica Gesneri corripere praecipiant.

Iasminum. Vox recentiorum. (Avicenna *Iatſimin*, nonnulli *Ieſemin* appellant, nonnulli *gelſeminum*) ab ἰασμή, id eſt, olei medicati et odoriferi genere, quod ex floribus albis violarum, et oleo ſeſamino confectum in conviviis vſurpabant Perſae odoris gratia, vt ex Dioſcoridis Nothis diſcimus. Vnde conſequitur, germen, quod Iasminum hodie nominatur, oleumque eius odoratum, luculenta ſimilitudine ab ἰασμή deductum penult. corripere ſecundum naturam adiectivorum in *inus* ab inanimatis derivatorum. Neque obſtat μη in ἰασμή; ſimiliter enim oenanthinum oleum penult. corr. licet ab οἰνάνθη deſcendat, et δάφνινον a δάφνη. Borrich. Nihilo minus plerumque iasminum producitur.

Iatropha. Lin. *phil. botan.* p. 184. derivat ab ἴατρον, quod medicamentum eſſe perhibet, et φάγω, edo. Sit fides penes auctorem. Sed

ἰάτρον est praemium quod datur medico. Arbor Gallis vocatur *le medicinier*, fructus vero *noix de medicine*, Purgirnuß, Brechnuß.

Iberis, idis. F. nomen herbae Plin. Diosc. ἰβηρὶς, producendum, sed in casibus obliquis corripiendum. Plin. 25. sect. 49: *Servilius invenit iberida.*

Ilex, ilicis. F. corripit casus obliquos.

Illecebrum, Latinis dicitur *illecebra* omne blanditiarum genus, quibus aliquis allicitur, et sic etiam Scribonio 153. herba quaedam dicta est, cuius nomen recentiores fecerunt generis neutrius. Pen. corrip.

Illicium Latinis est incitamentum, sed cur planta sic dicta sit, nondum scio. Seminibus cibos condiunt Chinenses.

Imperatoria. Nomen novum, a summis viribus, quasi planta imperatore digna. Nostratibus Meisterwurz.

Inga (Mimosa) nomen Americanum a Plum. evulgatum.

Inocarpus. ἶς, ἰνὸς, fibra. καρπος, fructus.

Inophyllum (Calophyllum). Nomen compositum ex ἶς, ἰνὸς, fibra, nervus. φύλλον, folium, quasi folium nervosum.

Intsia (Mimosa) nomen Indicum.

Intybus et intybum, pen. correpta. Columella 10: *Intyba, iam teneris frondens lactucula fibris.*

Inula,

Inula, ae. corripitur. Colum. 10, 119: *Capparis, et triſtes inulae, ferulaeque minaces.*

Iolithus (Byſſus) ex ἴον, ἴου, viola, et λίθος, lapis. Penult. corripit, ſicut omnia compoſita ex lithos. Sic chryſolithus. Marbodus *de gemmis* verſu 190: *Auro chryſolithus micat, et ſcintillat vt ignis.* Idem v. 539: *Hexacontalithos lapis ex re nomen adeptus.* Ratio nominis haec eſt. Reperiuntur lapides, qui, in primis humectati, violam vel iridem olent. Olim credebant, odorem proprium eſſe lapidibus, qui idcirco violacei vocabantur, Violenſteine. Sed muſcus eſt qui olet, atque is haud in vno lapidum genere, ſed in variis lapidibus, immo in oſſibus atque lignis adnaſcitur; quae res omnes, potiſſimum autumno ac vere, inde eundem odorem reddunt. Huius cauſſam eſſe muſcum recte iam cognoverunt Georg. Agricola, Gesnerus, Bromellius aliique; nihilo ſecius inter recentiores Zückert temere opinatus eſt, eſſe alios lapides, quibus odor iſte ſit proprius, et alios, qui eum habeant a muſco, i. e. ab illa byſſi ſpecie, quae Linnaeo dicitur *iolithus.* Nuper etiam Modeer aſſeruit, odorem violae a natura ineſſe cuidam zeolithi ſpeciei. Vid. Grönings Vorleſungen der Schwediſchen Akadem. 2. p. 15. Conf. G. Agricola *de nat. foſſil.* lib. 1. p. 175. Gesnerus *de figuris lapidum.* p. 122. B. Bromelli *lithograph. Suecana* p. 55. Brückmann *epiſt. itiner.* 1, 13. et 2. p. 103. Valentini *muſ.*

museor. 2. p. 21. Scheuchzer Naturgesch. des Schweitzerlandes 3. p. 109. Albini Bergchronik 2. p. 154 et 156. Lessers *lithotheolog.* p. 314. Grundigs Samlung zur Natur- und Kunstgeschichte 2. p. 1062. Keislers Reise 1. p. 136. Schwenkfeld *fossil. Siles.* p. 382. Haller *histor. stirp.* 3. p. 103. n. 2090. Linnaei *iter Oelandic.* p. 10. Zuckert vom Oberharze. p. 295. *An account of a stone, which on being watered produces mushrooms*, by John Hill. London 1758. 8. p. 28. Quod reliquum est, lapides violacei, qui in nostris Hercyniae montibus, in ducatu Würtemberg. et alibi frequentes sunt, in Italia rari esse videntur, cum Battara talem lapidem e nostra vicinia allatum, tanquam rarum ac pretiosum praedicaverit. Conf. *Museum Kircherian.* editum a Battara Romae 1773. fol. 1. p. 94.

Ionquilla (Narcissus) deminutivum est vocis Gallicae *jonc*, i. e. iuncus, quod folia fere iunci habeat, quapropter haec species olim dicebatur *Narc. iuncifolius.*

Ionthlaspi (Clypeola) ex ἴον, viola, et thlaspi formatum, quod ad vtrumque genus affinitate accedat. Nomen quatuor syllabarum.

Ipomoea. Finxit hoc nomen Linnaeus ex ἴψ, ἰπός, et ὅμοιος, similis, quod haec herba convolvulo similis videatur, et quoniam ἴψ, ex mente Linnaei, convolvuli nomen sit. Sed temere. Namque ἴψ est vermis, cornua et vites adrodens,

dens, de quo conf. omnino Niclas ad *geo-pon.* 5, 53. p. 424.

Iresine. Hoc nomen mihi molestum est. Nisi idem sit, quod Graecis εἰρησιώνη, Latinis iresione, es, i. e. oleae ramus, lana velatus, insigne supplicum, non video, vnde sit derivatum. Penult. plerique producunt, vt nerine, alsine; nescio qua ratione.

Iria (Cyperus), puto esse originis Malabaricae.

Irio, irionis (Sisymbrium), herba Plinii, quam Graeci ἐρύσιμον vocant. Casus obliqui producuntur.

Iris, iris et iridis. Corrip. Colum. 12, 20.

Isatis, isatidis. ἰσάτις. Omnes casus corripiunt pen. De herba veterum conf. Plin. 20, 7.

Ischaemum, i. proprie est medicamentum, quod valet ad sistendum sanguinem. Plin. 26, 12. et 25, 8. ex ἴσχω, cohibeo, reprimo, et αἷμα, sanguis.

Isoetes, nomen herbae Plinio 25, 13. quod habet quatuor syllabas. Penult. producendam puto; sic boletus, moneta.

Isopyrum, i. ἰσόπυρον, cuius herbae mentionem iniecerunt Dioscor. et Plin. Corripit penultimam.

Isora (Helicteres), nomen Malabaricum.

Itea, ae, ἰτέα, Dioscoridi salix esse videtur. Corripitur ob vocalem ante vocalem.

Iva. De quo nomine Ruellius p. 576: "Latinis „ajuga ſive abiga, chamaepitys dicitur. Inve„nitur et ibiga vocari, quod nomen fere ſer„vant hodie Illyrici. Hinc duabus abiectis lit„teris i et g iba, et tandem iva manavit in „vulgi nomenclationem."

Iuglans, andis. F. eſt a glans, quaſi Jovis glans, vt Varro, Servius et Iſidorus exponunt.

Iuiuba (Rhamnus). De hoc vocabulo Borrichius: "Iuiubae dicuntur officinis, quae Actuario ζί„ζυφα, Myrepſo ζίνζεφα, Simeoni Sethi „ζίτζινφα. Gallis *jon joube*, quam nomen„claturam a zizyphis corrupta voce detortam „eſſe opinatur in Lex. Martinius. Quod ſi a „*jon joube* Gallorum nomen invenerint juju„bae, vt veriſimile eſt, vndecunque tandem „*jon joube* hauſerint Galli, neceſſe eſt penul„timam produci, quod Gallorum *jou* longum „*u* conſtituat."

Iulus. Aſcanius, Aeneae filius, ſed eſt etiam appellativum; lanugo, aiunt lexicographi, pomorum et arborum. Botanicis idem eſt, quod amentum. Conf. *philoſ. botan.* p. 52. vbi de calyce ſermo eſt, etſi amentum referendum ſit potius ad infloreſcentiam, quam expoſuit auctor p. 112. Syllaba media producitur, nam vox eſt trium ſyllabarum. Virg. *aen.* 1, p. 271: *At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Iulo.* Ιουλος.

Iuniperus, penult. corrip. Virg. *ecl.* 10, 76. *Iuniperi gravis vmbra; nocent et frigibus vmbrae.*

Iusticia. Nomen viri eſt, cuius magna fuit expectatio Linnaeo, qua neſcio an dignum ſe praeſtiterit. Videſis *The British gardener's director by* James Juſtice. Edinburgh. 1764. 8. de quo libro conf. Halleri *biblioth. botan.* 2, p. 440, qui editum eſſe ait anno 1767. *Biblioth.* Banks 3. p. 610.

Ixia, ae. F. genus herbae Plin. 22, 18. ἀπὸ τοῦ ἰξοῦ, i. e. a viſco, quod circa radicem eius invenitur.

Ixora. Floribus eſt coccineis et ruberrimis, ita vt intrantes ſilvam credant eſſe incendium, quod accidit Plukenetio. Ideo Indi plantam a deo ſuo vocant ixoram.

Kali (Salſola) e nomine Arabico, vnde, praefixo articulo *al*, extitit nomen ſalis alcalini.

Karatas (Bromelia) nomen Indicum, quod producatur, vti Achates, Aratus.

Kleinia (Cacalia). Hanc ſpeciem primus deſcripſit J. Th. Klein, ſecretar. civitat. Gedanenſis (natus 1685. mort. 1759.) in vna plagula ſeparatim edita Gedani 1730. 4. quam inſcripſit: *An Tithymaloides, nec Cacalia, nec Cacaliaſtrum.* Noluit nimirum ipſe plantae novae imponere nomen, eo conſilio, vt alius quispiam plantam poſſet nominare Kleiniam. Atque ita Linnaeus eam vocavit in *Horto Cliffort.* p. 395. Sed poſtea cum etiam herbaceae

ſpecies

ſpecies huius generis innoteſcebant, et Kleinius Linnaeum rodere et obtrectare pergebat. immutavit is nomen generis, ſervavit tamen illud ſpeciei a Kleinio deſcriptae.

Knautia. Quoniam Chriſtian. Knautius negavit ſemina nuda, a viro Linnaeus herbam nominavit, cuius ſemina fere nuda ſunt.

Lablab (Dolichos), nomen Aegyptium, de quo Vesling ad Proſp. Alpini lib. *de plantis Aegypti* cap. 20. p. m. 183: "obſervavi frequenter a plebe ſemina in luſu vſurpata, et „proiectis ad proximum parietem aſſulis, e „ſcrobibus alternatim fuiſſe promota; quem ad „modum in alveo ad teſſarae iactum orbiculi „transponuntur. Laab autem apud Arabes luſum innuit, adeoque nominis ex eo derivatio „non improbabilis."

Labrusca (Vitis) vel a labris ac extremitatibus agrorum (nam in marginibus terrae naſcebatur labruſca veterum) ſic dicta, vel quod ſapore acerbo labra laedit ſic appellata, Servio auctore ad Virg. *ecl.* 5, 7. Conf. Plin. 23, 1.

Laburnum (Cytiſus). Plin. 16, 18, ſic dictum, quod habeat flores labiles.

Lactuca, pen. corrip. Mart. 13. *ep.* 14: *Claudere quae coenas lactuca ſolebat avorum.*

Lada-

LADANUM (Galeopsis), penultimam corripit. Sic Rufus apud Galenum: Ἄλλο δέ που κατὰ γαῖαν ἐρεμβῶν λήδανον εὕροις.

LAGOECIA. Vocatur Bellonio teste in Lemno Lagochymeni, i. e. leporis cubile, quam metaphoram imitantes diximus lagoeciam a λαγὼς, lepus, et οἶκος, domus. — Haec Lin. *horto Cliffort.* p. 73.

LAGOPUS, pen. produc. *Lagopodis*, pen. corripitur. F. Plinio est herba a pedis leporis similitudine dicta. Lib. 26, 8. p. 398: *Lagopus sistit alvum e vino pota.* Idem Dioscor. 4, 17, λαγώπους. Quae plantae olim hoc nomen habuerunt, genere Trifolii hodie comprehenduntur. Reliqua composita a ποῦς, *pes*, sunt masculina, vti apus, tripus, polypus.

LAGURUS. Nomen novum ex λαγὼς, lepus, οὐρα, cauda.

LAMIUM, vrticae foetidae species Plinio 22, 14.

LANTANA. Ita vulgo Italis dictus frutex, quod viminum instar lenti eius ramuli sint. Haec Gesnerus in *hortis German.* Sed Italis videtur esse *l'antana*, ab *antes* Latinorum, de quibus Virg. *georg* 2, 417: *Iam canit extremos effoetus vinitor antes.* Pen. corripiendam puto, vt in lapsana.

LAPATHUM (Rumex), corripitur Horatio *sat.* 2, 4, 29. *Et lapathi brevis herba, sed albo non sine Coo.* Q. Seren. versu 369: *Nec non et calami radix, lapathique legumen.*

Lappa (Arctium). Ovid. *Ponto* 2, 1, 14: *Mixta tenax segeti crescere lappa solet.* Inde deminutivum lappula a recentioribus factum.

Lapsana, ae F. λαψάνη. Penultima corripitur a Gesnero in Lex. Fabri, qui tamen in Stephaniano eam produxit. Scribitur etiam Lampsana, sed perperam. Vocem a Graecis sumtam esse, opinatus est Martinius in *Lex. philol.* Quia, inquit, alvum emollit, abstergit et vacuat, idonea ratio est, cur παρὰ τὰ λάψαι sit nominata. λαπάζω, evacuo.

Larix, icis. F. corripitur. Lucan. 9, 919: *Et larices, sumoque gravem serpentibus vrunt.*

Laser, laseris. N. corripitur. Idem quod laserpitium.

Lasianthus (Hypericum). λάσιος, hirsutus, hispidus. ἄνθος, flos. Nomen habet a petalis interne saepe hirsutis, Linnaeo teste *horto Cliff.* p. 380.

Lathraea, ae, λαθραῖος, αια, clandestinus, occultus. Dicta fuit a botanicis antiquioribus *clandestina.* Caulis, inquit Lin. infra terram corymbosus, vt fructificationes solae supra terram emineant.

Lathyrus, i. M. λάθυρος, de quo Apulej. *de herbis* 1. Pen. corripitur.

Laugieria. Jacquin *Stirp. americ. histor.* p. 36: Nominavi plantam in honorem Roberti Laugier, in Universitate Vindobonensi, chemiae et botanices professoris, qui primus novum hortum

tum botanicum ibidem adornavit et lectionibus illustravit.

Laurocerasus (Prunus), nomen ob similitudinem et foliorum et fructus datum est arbori a Bellonio atque Clusio, qui primi eius notitiam praebuerunt. Vid. Clusii *plantae rarior.* p. 4.

Lavandula s. lavendula, pen. corrip. A lavando dicta, quod inserviat fomentis et lotionibus, sed sine auctoritate veterum.

Lecythis. Quidni lecythus? i. M. cum λήκυθος sit ampulla olei, cuius pen. corripitur. Linnaeo dicitur *Lecythis ollaria*, rectius *Lecythus ollarius.* Nomen et cognomen idem significant. Nimirum pericarpium cum operculo inservit pro olla, quae aquam ferventem potest continere.

Ledum. De hoc nomine *Amoenit. academ.* VIII. p. 270: "Apud antiquos scriptores mentionem „herbae quidem observo nomine Cistus ledon, „sed a Ledo diversae, quod a Raio deinde „huic plantae impositum eius successores reti„nuere, vsque dum Ruppius *fl. Jen.* 1718 „novum ex hac constituit genus, quod primus „vocavit Ledum; vtrum rationem denomina„tionis a laedendo, odore, an a veteri voca„bulo ledon, susceperit, nobis omnino perinde „esse videtur. Λῆδον, Cisti species, ita ap„pellata, quod eius folia scabra et pannosa „sunt. Λῆδος est vestis ex panno raro ac de„trito. Cum vero ledi folia supra sint scabra, „subtus quoque pannosa, ideo huic vocabulo

„non

„non immerito ſuum debet nomen." — Linnaeus quidem haec. Ego vero nomina λήδον et λήδος prorſus diverſa eſſe arbitror.

Lemna, ae. λέμνα, nomen herbae Theophraſto auctore.

Lentago (Viburnum) nomen a Caeſalpino evulgatum, fortaſſe ex *lentus* factum.

Leontice, es. F. λεοντική, a Dioſcor., Plinio aliisque celebrata. Pen. corripit. Λέων, leo.

Leontodon, pen. corripitur. a λέων, λέοντος, et ὀδοὺς, ὀδόντος, *dens leonis*, quod nomen etiam ante Linnaeum in vſu fuit. Vocis ὀδοὺς prima ſyllaba brevis eſt; ſic Homer. *Il.* V, 291. Ῥῖνα παρ' ὀφθαλμὸν, λευκοὺς δ' ἐπέρησεν ὀδόντος. *Naſum ad oculum; albos autem traiecit dentes.* Sed rectius eſſet *leontodos*, *i.* M. nam Pryſiae filius apud Feſtum dicitur *Monodos*, qui dentium loco os vnum habuit. Minus recte ergo zoologi: *monodon*, *chaetodon*, *tetrodon*, cum Graeci dicant τριόδους, tridens, ἀνόδους, edentulus, ἀμφόδους, vtrimque dentatus, μεγαλόδους, magnos dentes habens. Sed *o* medium in omnibus iſtis nominibus corripi debet.

Leontopetalon (Leontice) pen. corrip. πέταλον, folium. Herba pedi leonis folia ſimilia habens. Plin. XXVII, 11.

Leontopodium (Filago) Plin. XXVI, 8. Pes leonis. πους, pes.

Leonurus pen. producitur. ab οὖρον, *vrina, Leonis vrina.* Sic *Palinurus* producitur, i. e. rurſum meiens. De veteribus, qui hoc nomine vſus ſit, reperi neminem.

Lepidium, de quo conf. Plin. Dioſc. Colum. Tournefortio auctore dicta eſt ita a λέπις, ſquama, eo quod ſquamas ac maculas faciei auferre exiſtimaretur.

Leptophyllum (Caucalis) i. e. folia habens tenuia. λεπτὸς, tenuis.

Leucadendron, δένδρον, arbor, λευκὸς, albus. Nomen recens.

Leucanthemum (Chryſanthemum), i. e. flos albus, herbae nomen Plinio, ſicut leucanthemis. Pen. corripiunt.

Leucojum, i. λευκὸς, albus, ἴον, viola, ideoque viola alba, ſed iam apud Graecos nomen fuit commune multis violis, vt ſunt albae, luteae, purpureae.

Leucoxylon (Bignonia), nomen ad exemplum antecedentis factum, quaſi album lignum.

Levisticum (Liguſticum). Prius nomen fictum eſt ex poſteriori. Liguſticum Dioſcor. 3, 51. et Galenus *ſimpl. med.* 7. vocarunt λιβυϛικὸν, inde leviſticum et German. Liebſtöckel, Gallis Livêche.

Libanotis, idis. (Athamanta et Cachrys). pen. producitur. λιβανωτὶς, ſed caſus obliqui corrip. quod radix ὄζει λιβάνου, thus redoleat.

LICHEN, enis. M. item lichene, es. F. penult. producitur. Graecis ὁ λειχὴν, τοῦ λειχῆνος. Mart. XI, 98: *Nec triſte mentum, ſordidique lichenes.* Sic ren, renis, lien, lienis, attagenis, Sirenis, quae omnia penult. producunt. Galen *de ſimpl. medic. facult.* lib. 7. p. 129. ita herba, inquit, nominata videtur, quod λειχῆνας curet.

LIGEA (Alſtroemeria). num herba cognominata eſt a Ligea, Nympha, de qua Virg. *georg.* 4, 336? Quod ſi verum eſt, derivatur nomen a λιγὺς, εῖα, canorus, quod eſt a λίγγω, ſtrideo. Pen. produc.

LIGUSTICUM, herba Plin. 19, 8. dicta a Liguſtica regione, i. e. Liguria.

LILIASTRUM (Anthericum), quaſi ad lilium accedens, Tournefortio auctore.

LIMEUM. Plinio 27, 11. herba venenata, a λοιμὸς, peſtis.

LIMODORUM. Theophraſto *de cauſſis plant.* 5, 22. λειμόδωρον. Ergo penultima producenda.

LIMONIA, λειμωνία Plin. 21, 11. Limonium, λειμώνιον, Plin. 22, 22, quod ἐν λειμῶσι, in pratis proveniat.

LIMOSELLA, *phil. bot.* p. 166. a limo natali dicta perhibetur.

LINARIA, recentiorum vox, a foliorum figura lini foliis ſimili. Pen. corr. ob vocalem ante vocalem.

LIPPIA.

Lippia. "Augustinus Lippi Parisiis anno 1678 „natus est, Lucensi parente medico, Lutetiam „agente. Tanto ille peregrinandi desiderio „flagrabat, vt licentiatus gradu a facultate me- „dica Parisiensi adepto Aegyptum Aethiopiam- „que perlustrandi occasionem doctoratus digni- „tati praetulerit. Delegato a Ludovico magno „anno 1703 ad Aethiopiae regem D. du Roule, „se legationis medicum vltro obtulit, et postu- „lato Fagonis favore sub eo titulo profectus „Aegyptum primo petiit, ex qua saepius et „plantarum semina et stirpes siccatas accuratas- „que descriptiones per epistolas misit. Quum „autem in Abyssiniam vsque cum regio ora- „tore tenderet, cum eo a sicariis in itinere „interfectus est. Ex variis, quas ad Fago- „nium, Bourdelotium, et Dodartium, medi- „cos aulicos scripsit epistolis, exstat collectio „ducentarum et amplius plantarum hactenus „ignotarum descriptiones et nomina com- „plectens." — Haec Tournefort. *institut. bot.* 1. pag. XXVII. Fatum istius legationis, ne innotesceret, omnem operam dederunt Jesui- tae. Sed iam veritas, quae diu in occulto latuit, exposita est in *Memoires sur l' Egypte, publiés pendant les campagnes du Bonaparte*, cuius libri notitiam dedimus in Physikalisch- ökonomischer Bibliothek XXI. pag. 303. Con- fer. interpretatio Germanica p. 271. Inseratur Lippi nomen in martyrologium historiae na- turalis.

Liquidambra, i. e. ambra liquida. Bauh. *pin.* p. 502. B.

Liriodendron. λείριον ſ. λίριον, lilium. Arbor lilia ferens.

Linosyris (Chryſanthemum). Oſyris ſ. oſiris, penultima producta. Oſyridis, pen. correpta. Plinio 27, 12. eſt herba linaria. Duplicata igitur voce dicitur planta Linnaeo lino ſimilis.

Lithospermum. Dioſc. 3, 158. λιθόσπερμον, ab λίθος, lapis, σπέρμα, ſemen, propter duritiem ſeminis.

Locusta (Valeriana). Iam Gesner. in *hortis German.* refert, vocari hanc ſpeciem a nonnullis locuſtam, ſed ratio cognominandi mihi nondum innotuit.

Lonchitis, idis. λογχῖτις, ιδος. Plin. 25, 11. Penult. nominativus producit, quam caſus obliqui corripiunt. λόγχη, ης eſt lancea. Ergo herba haſtata, eo quod folia inſtar lanceae in acutum deſinant.

Lophanthus. (Hyſſopus). Haud ſcio, an ex λόφος, cervix, et ἄνθος, nomen ſit coagmentatum. Poteſt eſſe, vt floris magni labium ſuperius ad latus directum cognominandi rationem praebuerit.

Loranthus, videtur ex λῶρον, quod et lorum, et diadema denotat, confictum.

Luffa (Momordica). nomen Arabicum, quod ex Aegypto evulgavit Veslingius in annotat. ad Proſp. Alpin. p. 199.

Luna-

Lunaria. Recentioribus ita dicta a foliis lunae crescentis modo falcatis. Bauh. *pin.* 354.

Lupinus, produc. penult. Sic Horat. *epist.* 1, 7. *Nec tamen ignorat, quod distent aera lupinis.* Q. Seren. 85: *Aut acido Baccho miscebis farra* (i. e. farinam) *lupini.*

Lupulus (Humulus); recentiorum vox, pro lupo salictario Plinii, pen. corripit, quia deminutivum est, vt annulus, hortulus.

Luteola (Reseda) a luteo colore, quem inde panni trahunt.

Lychnis, idis. corripitur. λυχνὶς olim planta coronaria.

Lycium, succus ex arbore spinosa Lycia excoctus. Penult. rorrip. quia nomen ei inde, quod in Lycia frequentissime id genus arboris nascatur, vt ex Dioscor. 1, 132. constat.

Lycoctonum, i. λυκόκτονον, i. e. aconitum, quod lupos strangulat. Diosc. 4, 76. Corripit penultimam.

Lycoperdon, nescio qui primus fecerit ex λύκος, lupus, et πέρδω, pedo. Stercus lupi.

Lycopersicum, λύκος, lupus. Luporum persicum; persicum lupulinum. Galenus hoc nomine vsus scribitur Anguillarae; equidem locum non inveni.

Lycopodium, i. λύκος, lupus, ποῦς, pes. Dubito, an vetustum nomen sit. λυκόποδες quidem dicebantur tyrannorum satellites, de qui-

 bus

bus Suidas. Musco nomen datum est, quod rami, praesertim extremitates eorum, pedem lupinum imitari videantur, Dillenio teste p. 441.

Lycopsis, idis. F. corripit casus obliquos, λύκοψις. A Dioscor. Plinioque inter anchusarum genera refertur.

Lycopus, idem quod lycopodium. Lycopodis pen. corripit. Sic in ceteris, quae derivantur a πους; sic tripus, tripodis, tetrapus, tetrapodis, polypus, polypodis, etsi dicatur etiam polypi.

Lygeum. Corripitur. Loefling *itinerar.* p. 285. (p. 366): lygeum nominavi synonymo veteri Athenaei, quod derivatum fuit a graeco λύγος, vimen, virga. Hactenus Loefling. In Hispania vsum fere *Stipae tenaciss.* habet. Lygus, i. etiam Plinio 24, 9. frutex est.

Lysimachia, penult. reddit communem, et brevem quidem, quia Dioscor. 4, 3. λυσιμάχιον appellat; longam autem, quia Hesychius λυσιμάχειον vocat βοτάνην. Sed de vrbe et planta Lysimachia prolixius agit Labbeus in *Analectis prosodicis.* Hactenus Borrichius. Herba retinet nomen a Lysimacho, Thraciae rege, Alexandri comite, qui eam invenit, Plinio auctore 25. sect. 35. p. 370, vbi conf. Harduinus.

Lythrum. Species huius generis, quae Salicaria cognominatur, olim ad lysimachias a botanicis referebatur, a quibus cum Linnaeus seiungebat, novo generi imposuit nomen, quod iam Dioscoridis aetate fuit synonymum lysimachiae. Conf. 4, 3. p. 246. At cum Dioscoridi scribitur λύτρον, absit adspiratio, quam temere indidit Linnaeus. Λύθρον vero est cruor.

Macrocnemum, nomen novum, fictum e μακρὸς, longus, prolixus, et κνήμη, tibia, quasi tu dicas longas tibias habens. Ex eodem fonte derivatur *polycnemum*. Vtrumque producitur.

Mahaleb (Prunus), nomen Arabicum apud Serapionem, quod quidam macalep scribunt.

Mahernia. Cum hoc genus Hermanniae admodum affine sit, et solis fere nectariis distinguatur, imposuit Linnaeus illi nomen quidem *hermanniae*, sed transpositis litteris, quam nominis rationem ab ipso Linnaeo audivi.

Maiorana (Origanum), recentiorum vox, cuius nomen alii a maro Dioscoridis deducunt, alii ex eo, quod maiori cura colatur, quam ceterae plantae. Penultimam producet per analogiam, vt oppidanus, rusticanus, fontanus, vrbanus, cet. Borrich. Iam Myrepsus *de antidotis* cap. 491. habet μαγγυράνα. Conf. Du Cange.

MALACHRA, ae. Plin. 12, 9. arbor in Bactriana regione, fructu caprifici.

MALACODENDRON. μαλακὸς, mollis; δένδρον, arbor.

MALACOIDES (Geranium et Malope), ex μαλακὸς, mollis, et εἶδος, facies, forma, quasi herba mollis, atque Lobelio *adversar.* p. 297. illa geranii species dicitur mollicella tota, cauliculis et foliis. Sic alia composita: δυσειδὴς, deformis, μονειδὴς, vniformis. Penultima producenda propter diphthongum ει.

MALOPE, es. F. Plin. 20, 21. μαλόπη, itaque corripitur.

MALVA, ae. nomen vetustum, Graecis μαλάχη, vtrumque a mollitie vocabulum factum. De etymo conf. Ruellius p. 75.

MALVAVISCUS (Hibiscus), nomen Apuleii. Videtur a malva et ibiscus deductum nomen. Conf. Ruellius p. 572. Sed potest esse ex viscum, cum nomen sit plantae glutinosae, quae vulgo etiam *guimalva*, inde officinis *bimalva* et *bismalva*, dicta est.

MAMMEA. Ex voce americana Mammei, qua vsus est Plumier, fecit Linnaeus novum hoc nomen, cum fructus maximi formam habeant mammillarem, cuiusmodi vocabula *quasi modo genita*, vel per transformationem sensualem facta, vocare solebat. Conf. *Phil. bot.* p. 163. *Critica bot.* p. 113.

MANCI-

Mancinella (Hippomanes) nomen Americanum.

Mandragora (Atropa) penult. corrip. Columella X, 20: *Mandragorae pariat flores, moestamque cicutam.* Graecis ὁ μανδραγόρας, genere masculino. Latini abiecerunt litteram vltimam, sicut e Σωσίας fecerunt Sosia; iidemque genus mutarunt. Attamen recentiores quidam, vti Cordus, Matthiolus, scripserunt *mandragoras.* Columella vocavit plantam *semihominem*, et iam Pythagoras ἀνθρωπομόρφον, quo vetustas fabulae de radice formam humanam vtcunque referente probatur. Est mihi dissertatio philologica *de Mandragora*, praeside J. Thomasio. Lipsiae 1671, sed vix quidquam inest, quod legere operae pretium sit. Conf. Salmas. *de homon.* p. 65.

Mangifera. Fructus huius arboris edulis, cuius tanta est varietas, quanta nobis pomorum, dicitur in India mangas, quem bene delineavit Meister in Indian. Lustgärtner p. 82. Sed *mangas tangas* fructus est alius arboris.

Mariscus, i. M. (Schoenus), iam Plin. 21, 17. iunci genus.

Marrubium. Plin. 20, 22: *marrubium, quod Graeci prasium vocant.*

Martagon (Lilium). Matthiol. in Dioscor. p. 600 et 601. auctor est, herbam ita a chemistis esse nominatam; quid autem sibi volue-

 rint

rint chemistae cum hac liliorum specie, atque vnde ipsi nomen deduxerint, ignoro.

Marum (Teucrium). Plin. passim. Graecis μάρον.

Mastiche, es. F. corripitur. Lacrima, quam lentiscus arbor sudat. Inde *mastichinus*, *a*, *um*, penult. correpta. Apud Palladium est oleum mastichinum. Sic Lin. *Thymus mastichina*, mastichen redolens. Sed *mastix*, flagellum, scutica, est M. et habet *mastigis*, pen. producta; a verbo μαςιγόω s. μαςίζω, flagello. At Q. Serenus formavit *mastix* vel *mastyx*, *mastychis*, vt versui conveniret, cuius conferantur interpretes.

Matricaria. Ruellius p. 568: ita dictam putaverim, quod mulieribus vteri causariis, et strangulationi vulvae oportunis suo viroso odore medeatur. Eadem dicitur parthenium.

Maurocenia (Cassine). *Hort. Cliffort.* p. 108: "dixi arbusculam hanc apud Mauros nascen- „tem semper virentemque a senatore Veneto „Joh. Franc. Mauroceno, qui hortum splendi- „dissimum plantis rarissimis instruxit Paduae, „eumque cum publico communicare voluit „Antonii Titae laboribus."

Max (Phaseolus), nomen Arabicum ex Avicennae libris.

Medeola, nomen a Linnaeo fictum, haud scio, an deminutivum Medeae.

Medi-

MEDICAGO. Produc. medicaginis. Nomen herbae, quae medica (proparoxytonon) dicebatur Graecis et Latinis, ſed cum ſuffixa ſyllaba *go*, quam recentiores addiderunt. Conf. *Phil. botan.* p. 167.

MEDIUM (Convolvulus et Campanula), non ex medius, a, um, ſ. μέσον, ſed μήδιον, ex Media, Plin. 27, 12. et Dioſcoridi ſubſtantivum eſt.

MELAMPODIUM. μέλας, niger. ποῦς, pes. Plinio eſt nigrum hellebori genus.

MELAMPYRUM, μέλας, niger, πυρὸς, triticum. Penult. corripit. Cuius plantae mentio facta eſt a Plinio ac Theophraſto.

MELANTHIUM, de quo Theophr. Dioſcor. ac Plin. A ſeminis nigredine dictum.

MELASTOMA. μέλας, niger. ςόμα, τος, os. A baccis dicta herba, quae comeſtae labia nigro colore inficiunt. Corripitur. Quae Graeci compoſuerunt nomina e ςόμα, ea deſinunt in *os*, quorum exemplo herba dicenda fuiſſet melaſtomos, ſed poteſt eſſe adiectivum latino more formatum: melaſtomus, a, um, vt ſit melaſtoma, ſcilicet planta. Attamen hoc nomen proprie indicat id, quod os nigrum habet, non quod os nigrum reddit. Atqui talia non curant nomenclatores botanici.

MELEAGRIS, idis. F. caſus obliqui corripiuntur. Conf. Fritillaria.

MELIA. Dioſcoridi μέλια denotat fraxinum, vel arborem aliam foliis itidem pinnatis, quod

nomen

nomen Linnaeus accepit eo consilio, vt effugeret barbarum illud Azedarach, quod huic generi ab antiquioribus datum erat.

Melianthus, nomen descendit a mellis copia, qua abundant flores melianthi maioris, e quibus mel destillat.

Melica, corripit mediam. Apud veteres non occurrit nomen, quod Italis in vsu est, quibus hodieque frumentum turcicum dicitur *melica*, *meliga* et *melliga*. Verisimile est, esse ab helimos vel melinos, quae Theophrasto sunt synonyma panici. Conf. Ruellius pag. 322.

Melilotus (Trifolium). Dioscoridi 3, 48. μελίλωτος. Pen. produc. Ovid. *fast.* 4: *Pars thyma, pars rorem, pars meliloton amat.*

Melissa, ae. μέλισσα est apis. Herba itaque ita vocatur, cuius flores apibus sunt gratissimi. Sine idonea auctoritate.

Melittis. In *Horto Cliff.* falso perhibet Linnaeus, nomina melittis ac melissa Plinio esse synonyma. Namque neutro is quidem vsus est. Sed apis, μέλισσα, dicitur Attice μέλιττα. Melittis nusquam occurrit.

Melo, melonis. M. Pallad. 4, 9, 6. penultimam producendam opinor, consentientibus Stephano et Gesnero in Lexico Fabri. Ille quidem in *thes. gr. ling.* 2. p. 1639. melones, ait, quasi μήλωνες, a mali figura. Sed Borrichius pen. corripit, ob omicron, inquit, quod vel μηλοπέπων

λοπέπτων ostenderit apud Galenum *de aliment. facultat.* 2. et apud Dioscoridem.

Melochia. Ex moluchi Arabum, quod nomen prodidit Rauwolf. factum esse existimo. Primus qui melochiam inde fecerit, fuit, ni fallor, Prosp. Alpin. p. 45. conf. ibidem Vesling. p. 188. Apud Avicennam legitur maluchia.

Melongena (Solanum), quod nomen vel ex codicibus Arabum innotuit, vel ortum est ex malensana, quasi mala insana; quo nomine fructus huius herbae vocatur. Conf. Ruellius p. 441. Scribitur etiam malozeno. Apud Myrepsum *de drosatis* cap. 89. legitur *μελιτζάνιον*. Bauh. *hist. plant.* 3. p. 619. refert, de melongena passim sermonem esse Avicennae et Averrhoi, quorum libros consulant, quibus licet. Salmas. *hyl. iatr.* pag. 65. confirmat, esse ex Arabico Bedengian. Vulgo penultima producitur, quod saltem iis liceat, qui partem extremam vocis melongenae ab *insana* derivant. Denique *insanae* iam veteribus dictae sunt complures herbae. Sic hyoscyamus dicebatur Latinis Insana, i. e. vt Plinius 25, 4. loquitur, gignens insaniam Q. Serenus 367: *Et quae vulgari sermone Insana vocatur Graecus hyoscyamum propria scit dicere lingua.* Deinde vites triferas ob id insanas vocabant, quoniam in iis alia maturescunt, alia turgescunt, alia florent, Plinio ita referente 16, 27. p. 20.

p. 20. Conf. quae a nobis annotata ſunt ad Ariſtotel. *auſcult. mirabil.* p. 346.

Melopepo (Cucurbita), melopeponis. μηλοπέπων. Omnes caſus corripiunt penultimam, vt canonis, iconis, Lacedaemonis, cet. Heſychius habet accuſativum ſingular. μηλοπέπονα, et Plin. accuſat. plur. melopeponas.

Melothria. Veteres vero melothron dixerunt. Sic enim Plin. 21, 9. p. 242. Theophr. ac Dioſcor. μηλωθρὸν, ideoque media ſyllaba vocis melothron produci debet. In plerisque Heſychii editionibus male legitur μελοτρον, quod recte repudiat Gorraeus in *definit. medicis* p. 402.

Memecylon, i. N. Plin. 15, 24. p. 750. Graecis μεμήκυλον, vel μεμέκυλον vel μιμαίκυλον, nam variant codices. Vltimum approbat Stephanus. In omnibus vero corripitur pen.

Menais, idis. F. pen. corr. Plinio 24, 17. eſt herba magica ſerpentium ictus ſanans.

Menispermum. Nomen recens. μήνη, luna. σπέρμα, ſemen, cuius a ſimilitudine herba nomen traxit, Tournefortio auctore.

Mentha, ae, et menta, vtrumque, ſed hoc in plerisque libris. Herba appellata dicitur, vel a μίνθη Graecorum, vel quod ſuo odore mentem feriat.

Menyanthes, ae. μηνυανθὲς, εος, menſiflora, vt Gaza vertit apud Theophr. *hiſt. plant.* 4, 11. vbi tamen et aliter ſcriptum legitur. μὴν, μηνὸς, menſis.

mensis. Bodaeus ad Theophr. p. 456. μινυανθὲς scribendum esse contendit, auctoritate Hesychii, Galeni atque inprimis Nicandri, apud quem *Theriac.* 522. μινυανθὲς scribendum ratio carminis dictitat. Ita censet etiam Gorraeus, qui ad l. l. annotavit haec p. 91: nomen non ἀπὸ τοῦ μηνύειν, quod significat ostendere, quasi flore suo se indicet; neque enim id fert ratio carminis; errant propterea qui Latine menyanthes scribunt; sed ἀπὸ τοῦ μινύρου, hoc est a minyo. Flores enim illi purpurei sunt. Hactenus Gorraeus. Etiam apud Plin. 21, 9. legitur minyanthes. Bodaeus l. l. varias attulit coniecturas, cur ita dicta sit herba.

Mercurialis, pen. produc. Q. Serenus 620: *Mercurialis item capitur communiter herba.* Loca veterum medicorum de hac herba collecta sunt a viris doctis ad Q. Seren. 520. inter Burmanni *poetas minor.* 2. p. 293.

Mesembryanthemum. Olim tertia syllaba habebat i, non y; ex μεσημβρία, meridies, ἄνθος, flos. Sed iuvat adscribere, quae Dillenius *h. Eltham* p. 225. qui de hoc herbarum genere optime meruit, de huius nominis confectione memoriae prodidit. "A similitudine, „quae inter ficus Indiae vulgo dictae, et qua„rundam huius generis specierum fructus in„tercedit, Ficoidis nomen primus imposuit „P. Hermannus in *horti Lugdun. Batav. cata„logo*, cui non tantum nomen, sed et multa„rum

„rum huius generis ſpecierum notitiam debe„mus. Non longe poſt Jac. Breynius in *Pro„dromo Alt.* p. 67. meſembrianthemum intro„duxit nomen, poſtquam hoc genus plantas „in *Centur. rar. plant.* Chryſanthema aizoidea, „in *prodromo primo* vero Chryſanthemo ſimi„les vocaſſet. Notat enim in dicto prodromo, „plantas eſſe heteroclitas, kali florido repenti „aizoidi Neapolitano Col. P. 2. [Linn. *Me„ſembr. nodiflor.*] cognatas, quae nullam, „praeter floris aliquam ſimilitudinem, cum „chryſanthemis affinitatem habeant. Itaque in „prodromo ſecundo audacius fecit, et novo „generi, cuius notas dat, novum tribuit no„men, meſembrianthemi videlicet, ſeu floris „meridiani, quoniam, vt ipſe loquitur, ple„rarumque huius generis ſpecierum flores, „medio die ſole illuſtrato, ſeſe aperire obſer„vantur. — — At Dillenius ipſe niſi nomen, „tamen ſignificatum mutavit. Equidem, in„quit, in vno meſembryanthemi genere ac„quieſco, ſcribendo id per y, vt alius ſenſus „et derivatio emergat. Flos nempe, cui „embryo eſt in medio; quod licet innumeris „aliis plantis contingat, non tamen id eodem „modo, ac in hoc genere fit, vt nempe flos „non tam inhaereat ſummo fructui, quam ab „ipſius capite ſeu parte ſuperiore arcte perfo„retur, et tam tenaciter medio embryoni „(quod ad eius augmentum ex vaſculi circulo „vel annuli iuxta calycem veſtigio apparet) „circumnaſcatur, vt absque laceratione in ple-

„risque

„risque ſpeciebus avelli nequeat." Hactenus Dillenius, cuius ex ſententia nomen compoſitum eſt ex μέσος, medius, et ἔμβρυον. Linnaeus quidem de hac nominis fabricatione haec: "nomen meſembryanthemi e tribus ver„bis confectum, et fere ſesquipedale retineo, „cum quodammodo excuſari queat, cumque „ſynonyma meliora non proſtent. Ignota „fuit prorſus haec familia veteribus Graecis, „Romanis et Arabibus; nec recentiori aevo „prodiit ante Hermanni et Breynii tempora; „iam vero in omni horto tam vulgata, vt vix „horti nomen mereatur, qui non meſembryan„thema alat." *Hort. Cliffort.* p. 221.

Mespilus, i. F. μέσπιλον et μεσπίλη, cuius de cura conf. Pallad. qui lib. 14, 106. pen. corripit: *Meſpilus admiſſo germine tuta ſubit.*

Metopium (Rhus) Plinio eſt olei genus ex amaris amygdalis.

Mezereum (Daphne). Ruellius p. 656: "offici„nae, quae barbarorum vocabulis ſunt addictae „mezereon, quaſi lethalem malunt nominare, „ſiquidem folia amara, guſtata linguam acriter „mordent, faucesque ac guttur vellicatu la„ceſſunt."

Microcos. Credendum eſt Linnaeo *phil. bot.* p. 187. coagmentatum eſſe nomen ex μικρὸς, parvus, et κόκκος, granum; quod ſi eſt, debuit dici micrococcus, quem ad modum dicitur tricoccus, i.

MICROPUS, ex μικρὸς et πούς, pes, Linnaeo auctore *phil. bot.* 180. micropodis. Omnes casus corripiuntur, sicut coronopus.

MILLEFOLIUM (Achillaea), nomen antiquum. Plin. 24, 16. μυριόφυλλον. Q. Serenus 101: *Herbaque cum sevo foliis de mille vocata.*

MIMOSA. Nomen iam ante Linnaeum in vsu fuit, a mimo, inquit Tournef. cuius motus imitari videtur herba. Producitur.

MIMULUS, i. Plinio 18, 28. p. 136. herba est mimulus dicta, cuius alibi nulla mentio. Linnaeus quidem non dubitavit derivare a mimus.

MIMUSOPS. *Phil. bot.* p. 178. derivatur a μιμώ, οος, simia, et ὄψις, adspectus, facies. Recens nomen.

MIRABILIS. Etsi adiectivum est, tamen non ausus est Linnaeus mutare nomen, propter antiquam auctoritatem, et quia planta re vera mirabilis est, cum nux fiat ex nectario indurato.

MITELLA, a fructus forma, quae mitram exiguam seu pileum episcopalem aemulatur. TOURNEF.

MITRA (Helvella), ae. vocabulum barbarum, sed antiquum, quo capitis ornamentum aut pileus significatur.

MNIUM. Graecis μνίον, ου, muscus s. alga est, quod nomen primus Dillenius botanicae intulit.

Mollugo. produc. ſed molluginis, corripit. Plin. 20, 10.

Moluccella. Linnaeus molluccae, quod nomen iam diu habuerat herba ex inſulis Molluccis allata, deminutivum ſua ſponte ſubſtituit.

Moly (Allium), molyos. N. Plin. 25, 4. Conf. Voſſii *etymol.*

Momordica, nomen medii aevi, ex praeterito verbi *mordeo* fictum, a ſeminibus quaſi maſticatis, Linnaeo teſte *philoſ. bot.* p. 169. Pen. corripit. ſicut ruſticus, mordicus.

Monorchis, is. F. Orchis quidem Plinio herba eſt, monorchis autem nulli veterum dicta eſt. In *Hippiatricis* ſunt *μονόρχεις ἵπποι*, equi, qui vnicum tantum habent teſticulum.

Monotropa. Nomen a Linnaeo impoſitum. *μονότροπος*, ſolitarius, caelebs. Pen. corrip.

Morgsana (Zygophyllum), quo de nomine nihil exploratum habeo, niſi quod refert Pluken. eſſe herbam *morgſani* Syrorum.

Moraea. Nomen traxit a Joh. Moraeo, aſſeſſore, medicinae apud Fahlunenſes in Suecia doctore, qui, ni fallor, affinitate coniunctus erat cum Linnaeo, qui nomen primus botanicae intulit. Conf. Thunbergii diſſ. *de Moraea.* Falſo itaque perhibuit vener. Böhmer, eſſe nomen Roberti More, Angli, qui Luſitaniam peragravit plantasque conquiſivit, ſed edidit nihil.

Morio (Orchis), morio, onis; pen. producta. Plinio 21, 31. herba soporifera.

Moschata nux, quae aliis *muscata*, μοσχοκάριον. "Nomen ei ab odore, qui tantillum ad „moschi similitudinem accedit. Primi vocis „natales, quantum constat, ab Aëtio deducti „sunt, cui μόσχατα placuit in suffimento „odorifero. Quod ad penult. in Graecis parum „praesidii est, cum alia in ατος, η, penult. „corripiant, vt δυνατὸς, ἐμβατὸς, ἐλατὸς, „περατὸς; alia producant, vt θεατὸς, ὁρατὸς, ἀρατὸς, cet. tutius ad analogiam La„tinorum pen. producimus, vt consulatus, se„natus, auratus, cet." Haec Borrich. Inde *Adoxa moschatellina*, cuius pen. corripienda.

Moscheutos (Hibiscus). Plin. 21, 4. moscheuton, μοσχευτὸν, rosae genus est, a suavitate odoris nomen habens.

Mucedo, inis (Mucor). Latinis narium pituita, aliis muccedo. Nominativus producit penult. quam casus obliqui corripiunt.

Mucor, oris. M. lanugo, quae situ diutino contrahitur. Pen. producit, vt amoris, honoris.

Murinum (Hordeum). Pen. producendam esse, vix est, quod moneam.

Muscari (Hyacinthus). Appellatur *Muscari*, vel *Muschoromi* aut *Muscurimi*, ob insignem odoris suavitatem, qui ad eorum pastillorum fragrantiam, quos ex benjuin aliisque odoratis parare solent, quodammodo accedere videtur; eandem

dem ob caussam nonnulli etiam *Muschio greco* vocant. Haec Clusius *plant. rar.* p. 179.

Mutellina (Phellandrium), ita dicitur vulgo in Alpibus, nomine sc. a Mutri, vel Muttern dicto, Gesnero teste in hortis German. Sunt qui mutrinam nominent. Haec Bauhin. *hist. plant.* 3, 2. p. 66. Pen. corripiatur.

Myagrum. Plinio 27, 12, myagros, μύαγρος, est herba praetervolantes muscas capiens; ex μῦς, mus, et ἄγρα, captura.

Myginda. Jaquin. *Stirp. americ. histor.* p. 18: "Nominavi hunc fruticem in honorem Fran„cisci a Mygind, consiliarii aulici, rei herba„riae peritissimi, et horti botanici Viennensis „fautoris egregii."

Myosotis, is, s. myosoton, s. myosota, ae, μυὸς ὠτὶς, i. e. muris auricula. Plin. 27, 4.

Myosurus, pen. produc. i. e. muris cauda, ex μῦς, mus, et οὐρὰ, cauda. Vox auctoritate caret.

Myrica; mediam producit Virg. *ecl.* 4, 2: *Non omnes arbusta iuvant, humilesque myricae.* Q. Serenus 412: *Sive myrica potens, seu ros cum pane marinus.*

Myristica, pen. corr. μυριστικὸς, odorus. μύρον, vnguentum.

Myrobalanus, ex μύρον, vnguentum, et βάλανος, glans. Pen. corripit. Martial. 14, 157. *Quod nec Virgilius, nec carmine dixit Homerus, Hoc ex vnguento constat, et ex balano.*

Myrrha, ae. F. non myrra, non ſine adſpiratione; eſt enim ex Aeolico μύῤῥα pro σμύρνη. Myrrhis, idis. F. penult. corripit.

Myrsinites, ae. (Euphraſia). M. pen. producit. Iam Plinio 26, 8. tithymali genus.

Myrtus, i. et us. F. De origine nominis conf. Voſſii *etymol.*

Mystax (Hugonia) eſt Graecorum μύϛαξ, ακος, barba ſuperioris labri, circa vtrumque labrum proveniens, quod nomen auctores medii aevi latinum fecerunt. Vt μάϛαξ, ακος apud Homerum α corruptum habet, ita etiam myſtacis penult. corripere debemus. Conf. *lexic.* Martinii.

Myxa, ae. (Cordia) veteribus erat mucus et prunorum ſpecies, quibus ex lentore mucoſo nomen inditum videtur. Hodie *Sebeſten* dicuntur officinis. Operae pretium eſt legere, quae Martinius in *lex.* de myxa habet, quae maxima ex parte excerpta ſunt ex Gorraei *definit. medic.* p. 413.

Naias, naiadis, pen. corr. Graecis Nympha fontium ac fluminum, Linnaeo herba in mari creſcens.

Nama. Graecis eſt νᾶμα, ατος, ſcaturigo, lympha, ſed haud ſcio, an inde ſit nomen herbae.

Napaea et napea, ae, fontium ac ſilvarum Nympha, cuius nomen huic generi Linnaeus indidit. Pen. produc. Virg. *georg.* 4, 335: *Tende petens pacem et faciles venerare Napeas.*

Napeca (Rhamnus), nomen ex Oriente traductum. Proſp. Alpino p. 10 et 164. Nabca; Bellonio itiner. 1, 44. p. 44. Napeca vel oenoplia. Conf. Bauh. *pin.* p. 477. Bauh. *hiſt. plant.* 1, 2. p. 39.

Napellus (Aconitum), ſic vocatur a figura napi in radice apparentis, Martinio conſentiente in *Lex. phil.* Sine auctoritate veterum.

Narcissus. De juvene in hunc florem mutato Ovid. *met.* 3. fab. 6.

Nardus, i. F. et Nardum. N. *νάρδος*. Conf. Martin. *lex.*

Narthecium (Anthericum), *ναρθήκιον*, repoſitorium medicamentorum.

Nasturtium (Siſymbrium) herba a naribus torquendis, Varrone auctore, dicta apud Nonium 1, 4. Plin. 19, 8.

Negundo (Acer et Vitex). Nomen Indicum, quod Acoſta evulgavit. Conf. Bauh. *hiſt. plant.* 1. p. 184. Imperati *hiſt. nat.* p. 893.

Nelumbo (Nymphaea), nomen Ceylanicum eſſe opinor.

Nepenthes, is. N. *νηπενθὲς*, a *πένθος*, luctu, dictum medicamentum Homericum, oblivionem triſtitiae afferens, vtique mortalibus omni-

 bus

bus propinandum, vt Plinii 25, 2. verbis vtamur. De hoc medicamento frequentia est eorum, qui disputarunt. Conf. Neues Bremisches Magazin 2. p. 271, vbi etiam icon huius plantae. De nomine adscribere iuvat verba Linnaei *hort. Cliff.* p. 431: "Assumsi „synonymon Breynii, cum enim, si haec „non Helenae nepenthes, certe Botanicis omni-„bus erit. Quis Botanicorum longissimo iti-„nere profectus, si mirabilem hanc plantam „reperiret, non admiratione reparetur, totus „attonitus, praeteritorum malorum oblitus, „mirificam creatoris manum dum obstupescens „adspiceret?"

NEPETA, ae. penult. corr. Q. Serenus versu 653. p. 317: *Aut molles nepetae, aut rutae, quaecunque bibentur.*

NEPHELIUM, est herbae nomen apud Apulei. *de herbis.* c. 36.

NERIUM, iam Plinio 24, 11. dictum.

NEURADA, deducitur *phil. bot.* p. 183. a *νευρα*, nervus. Pen. corripiendam puto.

NIGELLA, eadem veteribus, quae melanthium. Nigellus, a, um. Apul. 75: *herba floribus nigellis.* Liceat data occasione ad nomen Germanicum explicandum, quod facere possit, addere. Dicitur nostratibus Jungfer s. Braut in Haaren, atque facile cuique intelligitur, nomen esse deductum ab involucro folioso, quo flores eleganter cincti sunt. Sed iam Longobardis

gobardis vocabantur virgines *in capillo* ſeu *in capillis* filiae innuptae, atque hocce nomen herbae inditum eſſe videtur, de quo conf. Giannone bürgerliche Geſchichte des Königr. Neapel. I. pag. 393. et p. 489.

Nitraria, Latinis locus eſt, vbi nitrum invenitur. Eſt iis autem nitrum, noſter ſal alcalinus mineralis. Nitrum noſtrum recentioris inventionis eſt.

Nolana, videtur cognominata a *nola*, i. e. tintinnabulo, quod corolla ſit campanulata. Producitur.

Nostoc (Tremella). A Paracelſo hoc nomen noſtra ex lingua evulgatum, vulgo refertur. Equidem originem nominis coniectura non adſequor. Hodie autem ſatis conſtat, non eſſe Tremellam, neque meteorum, quod vulgo ſtella cadens dicitur, ſed inteſtina ranarum, quae anſeres mandendo comminuerunt et evomuerunt, quod recte iam edocuit Merrett in *pinace rer. natur. Britan.* p. m. 219. atque nuper comprobavit Perſoon in Voigts neuem Magazin für Naturkunde. 1, 2. S 56. Qui veteres de hac re ſententias requirit, legat Geoffroy Fortſetzung der *Mater. med.* 4. p. 72. et von Hohberg *georgica curioſa* 2, 2. p. 36.

Nuga (Guilandina). Huius arboris fructus in India vulgo vocantur nugae ſilvarum. Inde Linnaeus nomen deduxit, etſi Latinis nomen numero defectivum ſit, nec ſingulare reperiatur.

Nyctanthes. νὺξ, nox. Lin. *hort. Cliff.* p. 5: "Species huius generis omnes flores suos stel-„lae instar radiantes circa vesperam expan-„dunt, per noctem albi nitent, suaveolentissi-„moque odore superbiunt, mox autem oriente „sole ornamenta haec gratissima deponunt, „deiiciunt, eoque terram adspergunt, vnde „apud peregrinatores nomine arborum tristium „veniunt. Nos nyctanthen seu noctis florem „diximus."

Nyctelea (Ellisia). Nyctelius, a, um, quod ad Bacchum pertinet, bacchicus, a, um. Nyctelia, orum, erant Bacchi sacra nocturna, a νὺξ et τελεῖν, quod noctu perficiebantur. Quid autem herba habeat commmune cum Baccho, nondum mihi exploratum est.

Nymphaea. Iam Plinio nomen herbae nascentis in paludibus et lacubus.

Nyssa. Linnaeo dicta a Nyssa, Nympha, quia sit herba aquatica. At Nympha, quam cogitavit, non Nyssa, sed *Nysa* scribitur. Videsis Hygini *fab.* 182. p. 301.

Obolaria. Ita dicta, inquit *H. Cliff.* p. 323. ob convenientiam foliorum cum figura obolorum, praesertim Ruthenicorum.

Ochna, ae. ὄχνη Graecis est pyrum silvestre.

Ochrus, i. ὤχρος Theophrasto legumen, Latinis ervilia.

Ocy-

Ocymum. Rectius ocimum, nam graece ὤκιμον. Pen. corr. Q. Seren. 441: *Ocimum praeterea, bulbive linuntur amari.*

Odontites, is. (Euphrasia), herba, quae dentium dolori medetur Plin. 27, 12. ὀδοὺς, ὀδόντος, dens. Pen. produc.

Oenanthe, es. apud Theophr. et Plinium. οἶνος, vinum, ἄνθος, flos; quod floreat cum vite, vel quod flos odore et colore florem vitis aemuletur. Tournef.

Oenoplia (Rhamnus). Priorem nominis partem quilibet agnoscit, οἶνος, vinum; posteriorem equidem extricare nequeo. Num ortum ex Oenopia, quod radicis nomen fuisse dicitur Calepino? οἰνωπὸς, η, ον, qui vinei coloris est, qui οἴνου ὦπα habet. Oenoplia legitur iam apud Bellonium.

Oenothera. Plinio oenotheras. οἰνοθήρας, q. d. vini venator. θήρα, venatio.

Olax. ὦλαξ, ακος, sulcus. Casus obliqui corripiuntur, vti mystacis. Caussa nominis mihi nondum cognita.

Oleander, i. (Nerium). Nomen hybridum ab Anguillara profectum.

Olibanum officinarum, seu thus. Dioscor. λίβανος. Sic dicitur Isidoro 17, 8. a Libano monte, vbi copiose legitur, quamquam de origine vocis alia mens sit Vossio in *etymol.* Quidquid horum fuerit, Ausonius *Idyll.* 5, 98. eo respexit: *Florum spirat odor, Libani seu montis*

montis honor, thus. Penult. autem corripit, non ſolum ob hunc Auſonii locum, ſed ob Graeci quoque poetae auctoritatem apud Athen. 3, 11. BORRICH.

OLUSATRUM (Smyrnium) pen. longa. Ideo dicitur, quod folia habeat ſubnigra; ideo Columella 10, 123. *pullum olus* appellat. Quidam ſeparatim ſcribunt *olus atrum.* Sed compoſitum eſſe indicat Scribon. 195. *Oluſatri radix,* quo Genitivo etiam vtitur Plinius. Sed *oleris atri* Columella.

OLYRA, ὄλυρα. Dioſcoridi ac Plin. frumenti genus. Media corripitur, Gesnero teſte in Lexicis, attamen a Grammaticis ὄλυρα nominatim refertur ad exempla, in quibus υ ante ρ, contra regulam, producitur. Conf. E. Sidelmanni *proſodia Graecorum* p. 1023, quae adiuncta eſt Dinneri *epithetorum graecorum farragini.* ed. 1614. 8.

OMPHALEA, ae. Vt evitaret Brownii nomen Omphalandria, hoc fecit Linnaeus, quod Omphales, reginae Lydiae, cui Hercules ſerviit, herbam denotare videtur. Sed eſt herba quaedam dicta Dioſcoridi ὀμφαλόκαρπος, ab ὀμφαλὸς, quaſi fructum vmbilicatum ferens. Poteſt fieri, vt eo etiam reſpiciat nomen Linnaeanum.

OMPHALODES (Cynogloſſum). ὀμφαλώδης eſt vmbilicaris, cuius pen. produc. Nomen iam olim anatomicis conſuetum, non botanicis, nuper dederunt herbae, cuius capſulae, inquit Tournef., vmbilicatae ſunt.

Onobrychis, is. (Hedyſarum et Aſtragalus). ὀνοβρυχὶς, pen. corr. ὄνος, aſinus, βρυχὴ, ruditus, a βρύχω, mugio. Antiquum herbae nomen.

Onoclea, ae. ὀνόκλεια Dioſcor. 4, 25. pen. produc. ὄνος, aſinus, κλεῖος, gloria.

Ononis, idis, accuſ. ononida. ὀνωνὶς, herba quae et ἀνωνὶς dicitur Dioſcoridi, quod aſinos, ὄνους, ſeſe terentes ad illum ſcabentesque iuvet; complures quoque ſic appellari herbam tradiderunt, quod in ea ſeſe volutantes, ſpinis eius dorſum libenter affricent et ſcabant. Haec Ruellius p. 84. ex Phocione. *O* medium producitur, ſed caſus obliqui corripiunt penultimam.

Onopordum, i. ex ὄνος, aſinus, et πέρδω, pedo, quaſi crepitus aſini. Plin. 27, 12: *onopordum ſi comederint aſini, crepitus reddere dicuntur.*

Onosma, atis. Pen. corrip. ab ὄνου ὀσμῇ dicta, i. e. ab aſini odore. Plin. 26, 11.

Ophioxylon. Ex ὄφις, ſerpens, ξύλον, lignum. Scilicet valet contra ictus ſerpentium. Nomen novum.

Ophioglossum. ὀφιόγλωσσον, herba a lingua ſerpentina appellata, ſed recentioribus.

Ophiorrhiza, novum nomen ex ὄφις, ſerpens, et ῥίζα, radix. Pen. producitur, ſicut glycyrrhiza.

Ophrys, ydis. F. pen. corrip. Plin. 26, 15.

Opo-

Opopanax (Paſtinaca), opopanacis. Vbique pen. corrip., quia prima panacis corripitur. Lucret. 4: *Exſpirant acrem panaces, abſinthia tetra.* Ὀποπάναξ ex ὄπος, ſuccus, et πάναξ, ideoque ſuccus panacis. Nomen antiquum.

Opulus, i. media corrip. De arbore conſ. Columella.

Opuntia (Cactus). Circa Opuntem Boeotiae oppidum herbulam naſci, ſcribit Theophr. *hiſt.* 1, 12. quae ex foliis radicem dimittat. Indeque recentiores Opuntiae nomen huic ſpeciei dederunt. Tournef.

Orchis, is, orchem, orche, orches, orchium. Itaque minus recte quidam: orchides, orchidum. ὄρχις, ὄρχεως, teſticulus. Plin. 26, 10. p. 405: *herba gemina radice, teſticulis ſimili.*

Orellana (Bixa), produc. ſed de huius nominis origine videſis quae a nobis disputata ſunt in Waarenkunde 1. p. 213.

Oreselinum (Athamanta), penult. produc. Plin. 19, 8. et 20, 11. ὀρεοσέλινον Dioſcor. 3, 69. ὄρος, mons, collis. σέλινον, apium.

Origanum, pen. corrip. ὀρείγανον. Q. Sereno 909. ſcribitur origanus herba: *Cumque hoc abſumi debebit origanus herba.*

Ornithogalum pen. corrip. ὄρνις, avis, γάλα, lac, ergo lac avium, propter lacteum colorem, qui in flore nitet, ſimilem ei, qui in

alis

alis aut ovis gallinarum obſervatur. Bauh. *pin.* p. 69.

Ornus, i. F. Virg. *georg.* 2, 111: *Naſcuntur; ſteriles ſaxoſis montibus orni.*

Orobanche, es. F. ervi angina, herba ſtrangulans et enecans ervum et legumina. Plin. paſſim. ὄροβος, ervum, ἄγχω, ſtrangulo.

Orobus, i. ὄροβος. Corripit penultimam. Dioſcor. 2, 100.

Orontium. Auctores antiquiores ſolent nominare orontium Archigenis, (de quo Haller. *bibl. bot.* 1. p. 102), quaſi aurantium, quod auriginem morbum levet. Eſt vero *aurigo* morbus regius a colore auri dicta, quem bilis per totum corpus diffuſa repraeſentat. Conf. Bauh. *pin.* p. 212.

Orvala (Lamium) ex Gallorum *orvale*, cuius originem inquirant alii.

Oryza, ae. ὀρύζα, mediam producit. Horat. *ſat.* 2, 3, 155: *Tu ceſſas? age dum, ſume hoc ptiſanarium oryzae.*

Osmites, ae, ὀσμίτης, cuius mentio eſt apud Apulej. *de herbis* c. 90. pen. produc.

Osmunda, ae. Sine controverſia eſt antiquiſſimum nomen Germanicum, quod olim ſaepius, quam noſtro aevo, nomen fuit virorum, *Osmundus*, compoſitum ex **Mund**, i. e. vir fortis ſ. protector. patronus, quod ſupereſt in *Sigismund*, *Cunimund*, *Faramund;* atque ex **Os**, i. e. **Haus**, domus, domicilium, vnde

Osbrand,

Osbrand, *Oswald*, *Oswin*, cet. Conf. Wiarda über deutsche Vornamen und Geschlechtsnamen. Berlin 1800. 8. p. 44 et 55. Non filicem tantum, sed etiam viciam sepium Osmundam dictam esse, constat; vicia quidem Chabraeo p. 147. temere dicitur *os mundi*. Denique notatu dignum est, plura nomina propria Germanorum herbis imposita esse, quo modo chenopodii species dicitur *bonus Henricus*, quae nostratibus est guter Heinrich. Nec Houttuyn audiam, qui herbam ita dictam ait, quod os purget, quasi dicas *os-munda*.

Ossifragum (Anthericum) corripit penultimam, sicut Saxifraga. Lucret. 5, 1078: *Accipitres atque ossifragae*, *mergique marinis*.

Osteospermum. Nomen recens ex σπέρμα, semen, et ὀστέον, ου, ossis.

Ostruthium (Imperatoria). Etiam hocce nomen vere Germanicum esse existimo, ex Os et Trud, i. e. dilectus s. fidelis, compositum, vnde habemus Truda, Drotte, Trotwin, Gerdrut, cet. Optime itaque convenit id nomen in herbam, cuius vires veteres tantopere iactarunt. Conf. quae annotavimus modo ad v. Osmunda, et quem ibi laudavimus, Wiarda p. 51. Antiquiores scripserunt nomen sine adspiratione.

Ostrya (Carpinus), arbor Plin. 13, 21. Theophr. ὄστρυς.

Osyris, is. F. herba Plin. 27, 12. f. 88. Diofcoridi 4, 143. p. 294. ὄσυρις, ὀσύριδος. Sed Aegyptiorum deus ὄσιρις. Huius quidem nomen producitur a poetis. Tibullus 1, 8, 29: *Primus aratra manu folerti fecit Ofiris.* Alioquin pen. corripienda videatur, cum et ι et υ ante ρ raro producantur.

Othonna, ae. In *phil. bot.* p. 181. deducitur ab ὀθόνη, linteum, atqui in *Crit. bot.* p. 58. refertur ad vocabula, quae herbae cum lapidibus communia habent. At vtrumque falfo. Namque ὀθόννα iam Graecis ac Latinis fuit herbae nomen.

Otites (Cucubalus et Polypodium), ὠτίτης, auricularis. Auctoritate veterum botanicorum caret.

Oxalis, idis. F. Media corripitur. Nomen iam apud Plinium legitur lib. 20, 21. quod recentiores botanici: Royen, Gronovius, Burmannus, Linnaeus ifti plantarum generi tribuerunt, quod veteres: Raius, Clufius aliique *Oxys. yos* appellarunt, quod quidem nomen ab ὀξύς, acidus, etiam Plinio 27, 12, vfitatum eft.

Oxyacantha (Crataegus), ὀξυάκανθος. ὀξὺς, εῖα, ὺ, acutus. ἄκανθα, fpina. Diofc. 1, 122. p. 62.

Oxycedrus (Juniperus), cedrus acuta. Plin. 13, 5.

Oxycoccos (Vaccinium), ὀξὺς, acutus. κόκκος, granum. Caret auctoritate veterum.

Padus, i. πάδος, cuius ſolus Theophr. p. 284. meminit. Alia arbor eſt padus Plinii 3, 16. cuius nomen dicitur Gallicum, vbi quidam *pades* legunt.

Paederia. Id nomen Linnaeus deduxit a paedore, quem redolet.

Paederota. Paederos, παίδερως. pen. corrip. Plin. 22, 22. Apulej. c. 104. Paederotis vero, παιδέρωτος, producenda erit, ſicut etiam paederota, quod nomen aliqui libri veteres habent. Hoc ſubſtituit Linnaeus nomini *Bonarotae*, quod obtulerat Micheli. Conf. Böhmer p. 54. Mutationis cauſſam, quam deſideravit Scopoli *flora Carniol.* ed. 2. p. 22. edocuit Lin. iam in *Crit. botan.* p. 70 et 72.

Paliurus (Rhamnus), παλίουρος, Virg. *eclog.* 5, 39: *Carduus et ſpinis ſurgit paliurus acutis.*

Panaces, is. N. (Heraclium). πάνακες, pen. correpta. Dicitur Dioſcoridi aliisque *panax*. F. panacis, pen. correpta, vel panacea, ae, πανάκεια, pen. longa, dicta ἀπὸ τοῦ πάντα ἀκεῖν, quod omnia ſanet. Virg *aen.* 12, 419: *Ambroſiae ſuccos et odoriferam panaceam.*

Pancratium, παγκράτιον, athletici certaminis genus, a κρατέω, vinco, et πᾶν, omne, quod advocatis omnibus corporis viribus, omniumque nervorum contentione tranſigitur. Sed eſt etiam nomen herbae Plin. 20, 8. Apul. c. 42. Dioſcor. 2, 168.

Pani-

PANICUM, i. mediam corripit. Plin. 18, 7: *panicum a paniculis dictum, cacumine languido nutante.*

PAPAVER, mediam producit, sed casus obliqui corripiunt penultimam. Virg. *georg.* 1, 212: *Nec non et lini segetem et cereale papaver.* ibid. 1, 78: *Vrunt Lethaeo perfusa papavera somno.* Q. Serenus 274: *Actiaco melli iungas agreste papaver.*

PAPAYA (Carica), nomen Indicum.

PAPYRUS, i. F. et papyrum. N. pen. producitur. Recte per y; graece enim est πάπυρος.

PARAGUA (Cassine). Nomen patria dedit, quae vulgo Paraguay.

PARALIAS (Euphorbia), παράλιος iam Diosc. ac Plinio species tithymali. Male hodie scribitur paralias, cum sit paralius vel paralios.

PARDALIANCHES, is, N. (Doronicum). πάρδαλις, pardalis, panthera. ἄγχω, strangulo, neco, fauces constringo. Plin. 8, 27. p. 454: *Pantheras perfricata carne aconito (venenum id est) Barbari venantur. Occupat illico fauces earum angor, quare pardalianches id venenum appellavere quidam.* Confer. Schneider ad Nicandri *alexiphar.* p. 91. et quae ipsi disputavimus de isto veneno ad Aristot. *auscult. mirab.* p. 24. Liceat occasione hinc sumta annotare, pantheram, animal carnivorum, non edere herbas, quam ob rem veneno aliquid admiscendum erat, quod bestiam decipere possit.

Atque haec videtur caussa, quare Aristotele auctore, lanam aconiti succo imbutam pantherae obiecerint veteres, vel carnem perfricatam aconito.

PARIETARIA, herba iam Apulejo cap. 81. dicta a parietibus, in quibus nascitur. Constantinus Traianum herbam parietariam, ob titulos multos aedibus adscriptos appellare solitus erat, Aurel. Vict. auctore, *epit.* 41, 13. Ammian. Marcell. lib. 27, 3. p. m. 370.

PARIS. Sunt, qui plantam nominent *herbam paris*, vt sit paris casus genitivus, quasi tu dicas, plantam, in qua omnes partes binae sint, aut cuius pars quaelibet parem habeat, sed sunt etiam, qui *herbam Paridis* dicant, quasi nomen traxerit a Paride, Priami filio. Quod si verum est, debemus dicere: *paris*, *paridis*, in accus. *parim* s. *parin* s. *parida*, in ablat. *paride*, semper penultima correpta. Atque tunc nomen est masculinum, neque recte dicitur: *Paris quadrifolia.* Vtcunque se res habet, recens est nomen botanicum, sine auctoritate veterum.

PARNASSIA, a monte Parnasso, in quo Dioscoride 4, 32. teste, graminis species nascitur, quae gramen Parnassi vocatur. TOURNEF.

PARONYCHIA, ae. (Illecebrum), herba paronychias sanans, Diosc. 4, 52. παρωνυχία. Penultimam producere vult Gesnerus in lexico Fabri, quam tamen ipse corripuit in Thesauro Stephani.

PARTHE-

PARTHENIUM (Matricaria). Nomen a Minerva, conf. Plin. 22, 17. et Diosc. 3, 141.

PASPALUM. πασπάλος est Hippocrati milii genus, quod apud Suidam πασπάλη vocatur; sed qui nomen generis neutrius fecerit, inter veteres reperio neminem. Conf. Foes. *oecon. Hippocr.* p. 489. A. Media corrip. cum α ante λ brevis esse solet.

PASSERINA. In *philos. bot.* p. 169. herba sic dicta videtur a figura seminis, quam similitudinem non agnosco. Haud dubie herba ita nominata est a Trago et ei aequalibus, quod passerculi semina depascantur. Conf. Lobelii *advers.* p. 358. Sed recentiores herbam memoriae Valent. Passerini consecrarunt, de quo conf. Böhmer p. 161. Pen. producitur.

PASSIFLORA. Rationem nominis satis pervulgatam legas in Lin. *amoen. acad.* 1. p. 248. Pen. produc. sicut in vniflora, biflora atque ceteris compositis ex flos et flora.

PASTINACA, ae. Pen. produc. vt portulaca. Macer. 28, 1: *Et pastinacae virtus in semine tanta.* De herba veteribus sic dicta egimus in *Histor. invent.* 5. p. 138.

PATAGONULA, ae. a patria Patagonia dicta. Pen. corrip.

PATIENTIA (Rumex), Gallorum *patience.*

PAVETTA, nomen cum herba ex India venit.

Pavia (Aesculus), a Boerhavio dicta in memoriam Petri Paw, prof. Lugdun. Conf. Böhmer p. 162.

Pectis, idis. F. herba Apulejo *de h.* cap. 59. Pen. corrip.

Pedalium est nomen herbae apud Apulej. cap. 18, quod, cum a pede deductum videtur, indidit Linnaeus herbae, cuius nuces tetragonae, angulis quatuor versus basin spinosis, similes sunt illis muricibus ferreis, quos in terram defodiunt milites, vt arceant hostes. Atque in Ceilonia, vbi plerique incedunt pedibus nudis, nuces istae eodem modo agris ac hortis circumsperguntur, vt iis fures arceantur.

Pedicularis. Nomen, quo iam Columella vsus est, herbae inditum existimat Dodon. *pempt.* p. 556, quoniam pecori ac iumentis, quae ea pascuntur, pediculorum copiam gignat; Lobelius *adverſ.* p. 228. quod pediculos enecet; Raius vero *hiſt.* p. 769. quod eius folia rugas habeant pediculis similes. Tournef.

Peganum, mediam corripit, πήγανον Graecis est, quae Latinis ruta, de qua planta veterum disputavimus in annotat. ad Antigoni Carystii *hiſtor. mirab.* cap. 41. p. 69. Quae a Linnaeo peganum dicitur, est rutae graveolenti quam simillima.

Pelecinus (Biserrula). Pelecinum, non pelecinus, olim erat herba inter triticum et vi-

cias

cias nascens. Penultimam produco auctoritate Gesneri.

Peloria. Insignem hanc varietatem Linariae putavit Linnaeus anno 1744, esse speciem ab aliis prorsus diversam, tunc demum primum enatam. Conf. *amoenit. acad.* 1. p. 280. et *philos. botan.* p. 99. Posteaquam vero cognoverat, istam herbam non ferre semina, opinatus est, esse eam plantam hybridam. Conf. *Species plant.* ed. secundae p. 859. At nec hybridam esse, sed varietatem tantum, hodie inter omnes constat, neque Peloria a natura linariae longius recedit, quam aquileia nectariis corniculatis carens, ab affinitate sui generis. Conf. Krascheninnikow *flora Ingrica* p. 99. Fabricii *hortus Helmstadiensis* ed. sec. 1763. *Histoire naturelle des fraisiers par* Du Chesne. Paris 1766. 8. *Memoires de l'academie à Paris; année* 1769. p. 31. Neque Linnaeus, quo tempore mihi contingebat eius familiaritate frui, non sciebat sese errasse. Erat ei iam tunc memoria peloriae adeo molesta, vt sedulo caverem, ne eius recordatione senem venerabilem offenderem.

Peltaria, sic dicta a Jacquin, qui primus hoc genus finivit, ob formam silicularum membranacearum.

Pentagonia (Campanula), i. e. quinque angulos habens.

Pentapetes, ae. πεντάπετες, cuius herbae mentio apud Plinium et Apulejum; i. e. quinquefolium. Pen. corrip.

Penthorum. In *philoſ. bot.* p. 175. refertur nomen ad Graeca obſcura, ſed Graeci herbam quandam nominarunt πεντόροβον, a πέντε, quinque, et ὄροβος, ervum. Idcirco dicenda eſſet herba *pentorobum*, pen. correpta, ſine adſpiratione, quo nomine vſus eſt Plinius.

Pentstemon (Chelone). Profiteor, me nondum conjectura perſpicere nominis rationem. Num πεντάστομος, quinque ora habens?

Peplis, idis, et peplus, i. et peplion, nomina herbarum, quae iam leguntur apud Plinium.

Pepo, peponis (Cucurbita) pen. corr. Conf. Melopepo.

Perdicium. Plin. 21, 27: *herbae*, inquit, *nomen dedit avis, id maxime eruens.*

Pergularia. Num a pergula dicta? quae eſt in vineis topiarium opus. Sic Colum. 3, 2, 28. *pergulana* vitis, quae pergulis adiungitur ac ſuſtinetur.

Periclymenum (Lonicera), περικλύμενον. Plin. 27, 12. pen. corripitur auctoritate Nicandri *theriac.* v. 510.

Periploca. Penultima corripitur. Dicitur, inquit Tournefort. p. 93, a περὶ, circa, et πλοκὴ, nexus, quaſi diceres plantam ſcandentem et ad plantas vicinas ſe alligantem. Περιπλοκάδα legitur iam apud Manuel. Moſchopulum

lum in Lexico Philoſtrati. Conf. Du Cange *gloſſ. graecit.* p. 1154.

Persea (Laurus), περσέα, arbor Aegyptiaca, cuius de diſcrimine et confuſione et perſicae arboris, vid. Salmaſ. ad Solin. et *homonym.* cap. 68.

Persicaria (Polygonum) a ſimilitudine foliorum perſicae. Nomen ex medio aevo.

Petalum, i, πέταλον, folium. Pen. corr.

Petasites (Tuſſilago), πετασίτης Dioſc. 4, 108. pen. produc.

Petroselinum (Apium). Plin. 20, 12. pen. produc. nam media σελίνου producitur ab Homero et Nicandro *alexiphar.* v. 603.

Peucedanum, πευκέδανον, pen. corr. Lucan. 9. v. 919: *Peucedanumque ſonat flammis, Erycinaque thapſos.*

Peziza. Plinio pezicae, arum, pluraliter, per c, non per z. Sunt qui malint pezita. Media producitur, ſicut myrica.

Phaca. Graecis φακὸς et φακῆ eſt lens, ſed male botanici hoc acceperunt. Nam φακῆ eſt lens cocta et ipſum etiam ex lente cocta pulmentum; φακὸς autem eſt lens cruda.

Phaelypaea (Lathraea). Tournefort. *corol.* 47, qui nomen dedit, ſcribebat phelypaea, primam ſyllabam per e ſimplex. Eodem modo ſcribebat Lin. in prioribus libris. Conf. Böhmer p. 164.

Phalaris ſ. phaleris; pen. corrip. F. Phalaridis etiam corrip. Herbae nomen apud Plinium Graecis φαλαρὶς.

Phallus; aut potius ithyphallus; φάλλος, membrum virile, et ἰθύφαλλος, membrum virile erectum, nudata glande; nam haec planta hominis pudendum repraeſentat. Haec Michel. p. 202.

Pharnaceum. conf. Bôhmer p. 164.

Pharus. φάρος, pallium, velum, velamen, ſed neſcio, a quanam ſimilitudine nomen traxerit herba, quae inter gramina folia habet maxima.

Phascum. Heſychio: φάσκος et σφάκος, aliis etiam σφάγνος, et Plinio 12, 23. p. 671. ſphagnos. *Snnt*, inquit Plin., *hoc nomine cani arborum villi, quales in quercu maxime videmus.* Conf. Bodaeus ad Theophr. p. 155 et 156. et Ruellius p. 140.

Phaseolus et Faſeolus, vtrumque. Phaſelus, i. M. cuius pen. producitur. Virg. *georg.* 2, 227: *Seu pinguem viciamque ſeres, vilemque faſelum.* Phaſeolus, quaſi tu minutum faſe-lum dicas; genus leguminis apud Plin. et Colum. Pen. corrip. Graece φασήολος ac φασίολος.

Phellandrium. Plin. 27, 12. φελλάνδριον, l. φελλάνθρυον, φυλλάνδριον. Conf. Hermolaus ad Dioſcorid.

Phellos

Phellos (Quercus), i. M. φέλλος, Latinis ſuber eſt, de qua arbore conf. quae diſputavimus in *Hiſtor. invent.* 2. pag. 472.

Philadelphus. Perperam hoc nomen putatur eſſe regis Aegypti. Nam Athenaeus lib. 15. pag. 682, ſolus qui huius fruticis mentionem fecit, hanc denominandi rationem affert ex Apollodori libro rerum Parthicarum. "Tradit, „in Parthis naſci floris genus, philadelphum „appellatum, ex argumento, quod rami eius „ex intervallo ſponte coeant ceu animantes, „poſt digrediantur, concipiant et pariant. „Huius tenuiſſimis virgis reticulatim compoſi„tis, atque ita conſitis, hortorum ſepta impe„netrabili compage fieri."

Phillyrea. Dioſcoridi 1, 125. φιλλυρέα.

Phlegmaria (Lycopodium). Ratio nominis etſi mihi nondum explorata eſt, tamen annotare liceat, non phlegmariam, ſed plegmariam dici Breynio ac Raio *hiſt.* pag. 1852. (non 1582), et in *ſupplem.* p. 655.

Phleum. Plinio 21, 15. phleos, φλέος.

Phlomus, i. M. φλόμος. Plin. 25, 10. Dioſc. 4, 104. Galen. *de ſimplic. medicam. facult.* lib. 8. p. 128.

Phlox, ogis. φλὸξ. Plin. 21, 11.

Phoenix, *phoenicis*, pen. produc. F. per *oe*; non phaenix per *ae*, vt quidam perperam ſcribunt. Graece enim eſt φοῖνιξ, palma, a cuius arboris natura fabula de ave phoenice ortum

ortum habere putatur. Vid. Bochart *hieroz.* 6, 5.

Phragmites, ae. (Arundo), iam veteribus erat genus calami. Plin. 32, 10. Pen. produc.

Phu (Valeriana), φοῦ, nomen antiquum, quod apud Dioſcoridem, Plin., Scribonium Larg. legitur.

Phylica, ae. Sed Theophraſto *hiſt.* 1, 15. φιλύκη, ergo *philyca* ſcribatur. Equidem mediam producendam exiſtimo, vti myrica.

Phyllanthus. Plin. 21, 16. phyllanthes, is. φυλλανθής, herba ex aculeatarum genere. Sed recentiores nomen impoſuerunt herbae, cuius flores ex ſerraturis foliorum prodeunt. φύλλον, folium, ἄνθος, flos. Inde etiam cognomen *epiphyllanthus*, i. e. flores in foliis ſ. ſuper foliis habens.

Phyllis, idis. F. pen. corrip. Dixi, ait Lin. *horto Cliff* p. 87, phyllida a pulcritudine plantae primaria, in foliis conſiſtente. — Cogitavit pulcram puellam ruſticam Virgilii *ecl.* 10, 44.

Physalis, idis. per omnes caſus corripit penultimam. φύσαλις, bulla, veſica. Dioſcor. 4, 70. p. 271, vocant, inquit, φυσαλίδα, ob fructus intra folliculos orbiculatos veſicis ſimiles, coccineos, cetera. Itaque Burmannus *theſauro Zeylanico* nomen, tanquam novum, temere exprobravit Linnaeo.

Phy-

PHYTEUMA, atis. N. φύτευμα. Plin. 27, 12. Dioſcor. 4, 130. Caſus obliqui penultimam corripiunt.

PHYTOLACCA. Ex φύτον, herba, et lacca (quod nomen Indicum eſt), quaſi dicas plantam, ex qua color ad laccam accedens extrahitur. De vſu baccarum ad laccas conficiendas egimus in *Commentat. ſocietatis ſcient. Gotting.* I. 1779. pag. 74.

PICRIS, idis, pen. corr. Plinius paſſim. Dioſcor. 2, 160.

PILOSELLA (Hieracium) a copioſis pilis, quibus veſtitur, nomen ſortita eſt, veteribus ignotum. Bauh. *pin.* 262.

PILULARIA nomen traxit a globulis, quibus radices obſitae ſunt, de quibus conf. Linnaei *iter Scanic.* p. 308. Medicamentum in globulos formatum bene L ſimplici ſcribitur, perperam *pillula.* Media corripitur.

PIMPINELLA et bipinella a recentioribus, a foliorum binis ordinibus, pennatim ſive plumatim digeſtis, nominatae, veteribus indictae exiſtimantur; quae etiam bipennulae (Ruellius p. 450.) et pampinula (Ruell. p. 591.) vocantur. Bauh. *pin.* p. 159.

PINGUICULA, ae. Pen. corrip. Nomen a Conr. Gesnero ei ſpeciei, quae hodie *vulgaris* dicitur, datum ob pinguedinem foliorum, quae humida, mollia ac laevia ſunt.

PIPER,

Piper, piperis. N. pen. corrip. *Piperitis*, pen. prod. (Menta); piperitidis, pen. correpta. Plin. 20, 17. et 19, 12. p. 183: *piperis saporem reddit, ob id piperitidis nomine accepto.* *Piperita* (Fagara) ita dicta, quoniam Kaempferus eam nominaverat Piper japonicum.

Piscidia. Globuli ex hac herba confecti proiiciuntur piscibus, qui, eis deglutitis, aërem reddere coguntur, quo facto non possunt emergere, atque tunc sine incommodo capiuntur. Inde nomen.

Pistacia, pen. corr. Pallad. 14: *Quin et amygdaleos subeunt pistacia ramos.*

Pistolochia (Aristolochia), ita iam veteribus genus aristolochiae dictum est, fortassis, inquit H. Stephanus, quod ad partus eius efficacia probata sit.

Pityusa (Euphorbia), veteribus iam genus tithymali. πίτυς, picea. Plin. 24, 6. p. 331. dicitur frutex similis piceae, id est, mea sententia, foliis piceae.

Plantago, pen. produc. Nam Macer: *Agninae similis foliis plantaginis huius.* Tournef. p. 128: "Plantaginem per excellentiam dictam „fuisse existimant, quasi plantam praestantissi„mam; alii nomen illud ducunt a pedum „planta, qua vulgo teritur, vel quam re„praesentat."

Platanus, i. Media corrip. Virg. *georg.* 4, 146: *Jamque ministrantem platanum potantibus vmbram.*

Plumbago, pen. produc., plumbaginis corrip. Plin. 25. sect 97. p. 384: *molybdaena, i. e. plumbago. Haec commanducata si oculus subinde elingatur, plumbum (quod est genus vitii) ex oculo tollitur.* At Lin. *philos. bot.* p. 167. ita dici vult ob maculam colore plumbi, quam digitis radix compressa efficit. Ita enim, iussu Linnaei, olim in meo exemplari istius libri mutavi verba, quae ibi leguntur; nescio vero, quaenam species ita digitos inficiat.

Pneumonanthe (Gentiana) a recentioribus sic dicta ob praeclaras vires, quas herbae in sanandis pulmonum affectionibus ac hepatis tribuunt. Bauh. *hist. plant.* 3, 2. p. 525.

Poa, ae. Graecis generatim herba, gramen.

Podophyllum. Olim genus appellabatur anapodophyllum, quasi, ait Tournef. p. 239, planta, cuius folia ad pedem anatis accedunt. — Quodsi hoc cogitaverit nominis auctor, finxit vocem hybridam, namque anas graece dicitur νῆσσα vel νῆττα. Malim putare compositum esse ex ἀνα et ποῦς et φύλλον. Sed vtcunque se habent ista, Linnaeus incidit sua sponte nomen. Ita enim in *horto Cliffort.* pag. 202: Anapodophyllum est nomen sesquipedale, detruncavi itaque tres litteras, tamen sufficiunt reliquae cum omnino eadem significatione.

Pole-

Polemonium, antiquum nomen, πολεμώνιον, a πόλεμος, bellum. Plin. 25, 6. p. 368: *polemoniam, alii philetaeriam, a certamine regum inventionis appellant;* i. e. certarunt inter ſe duo reges Polemon et Philetaerus, ille Ponti, iſte Cappadociae, vter prior plantam invenerit. Conf. Hardouin. ad l. l.

Polium (Teucrium) a πολιός, canus, nam Dioſcor. 3, 124. auctor eſt, corymbos habere caeſariei canae ſimiles.

Pollen, inis. N. *Pollis, inis*, M. Proprie eſt pulvis tenuiſſimus a poliendo, i. comminuendo, levigando. In genitivo media corripitur. Male dicitur *hic pollen;* debemus dicere: *hoc pollen, hic pollis, hunc pollinem.*

Polyadelphia, nomen quidem novum, ab auctore ſyſtematis ſexualis, quod dicitur, botanicae illatum; attamen Φιλαδελφία olim fuit nomen civitatis in Myſia, regione Aſiae. Proprie notat amorem fraternum. Pen. corripitur, quo modo corripiuntur academia, philoſophia.

Polyandria. Nomen ſyſtemati ſexuali, quod dicitur, proprium. Sed polyandrion dicebatur in Graecis civitatibus commune hoſpitum ſepulcrum, ita dictum a multitudine ſepultorum. πολυάνδϱιον enim ſignificat populoſum. Conf. Elmenh. ad Arnob. 6. p. 175.

Polyanthes. Iam Graecis ac Latinis dicta fuit herba quaedam polyanthemum, i. e. habens multos

multos flores. Quod quidem nomen respuit Linnaeus, neque herbae, quae a radice tuberosa hortulanis *Tuberosa* vocatur, nomen Polyanthes imposuit a πολὺς, multus, numerosus, sed a πόλις, vrbs, quod, ob odorem omnium gratissimum, frequentior in vrbibus apud divites, quam ruri esse soleat. Sic mihi ipse rationem nominis exposuit, quocirca id per i, non per y, scribendum est, et ita recte scribitur in *Philos. bot.* et *Critica botan.*

POLYCARPON. Apulejo *de herbis* cap. 18. polycarpos, i. e. multos fructus habens, fructuosus.

POLYCNEMUM. Dioscorid. 3, 108. πολύκνημος, multos saltus s. colles habens. κνήμος, saltus. Hinc derivant nomen lexicographi, sed multo probabilior est sententia Harduini ad Plin. 26, 14. p. 413, deducentis a κνήμη, tibia, quasi habeat nomen a crebris geniculis, quasi tu dicas multitibiam, multicruriam. Consentit Lin. *phil. bot.* p. 179. Certe pen. producitur. Conf. *Macrocnemum.*

POLYGALA, ae. πολὺς, multus, γάλα, lac, herba quae potata lactis vbertatem inducit. Plin. 27, 12. Diosc. 4, 142. scribitur quoque polygalon. Vtrumque corripit pen.

POLYGONATUM (Convallaria). Diosc. 4, 6. πολυγόνατον, a πολὺς, multus, et γόνυ, γόνατος, genu. Pen. corrip. Homeri auctoritate, apud quem frequens est γόνυ κάμπτειν, genu flectere.

Polygonum. Diosc. 4, 4. πολύγονον, a γόνυ, genu, γόνατος. Pen. corrip.

Polymnia, vna ex musis, nescio qua ratione ad herbas relata.

Polypodium, cuius radix Plinio 26, 8. dicitur *acetabulis cavernosa ceu polyporum cirri.*

Polypremum, quo nomine vsi sunt quidam iam ante Linnaeum, sed haud dubie dicenda est herba polypremnus, πολύπρεμνος, multos habens stipites s. truncos, vel planta quae diffunditur pluribus stirpibus. πρέμνος, stipes, caudex. *Geopon.* 10, 84. p. 775. Etiam apud Ruellium p. 149. legitur *polypremnos.*

Polytrichum, pen. corr. Plin. 22, 21. a multitudine capillorum seu filorum, nam τρίχες, capilli.

Populus, i. pen. corr. Virg. *ecl.* 7: *Populus Alcidae gratissima, vitis Jaccho.*

Porella. Huic nomini ex ore Linnaei adscripsi haec: Capsula multis poris pertusa est, inde nomen. At cum solus Dillenius viderit vnicum exemplum, nondum satis constat, sitne ab insectis confecta capsula.

Porophyllum (Cacalia) a foliis perforatis nomen indidit Vaill. *memoires de l'acad.* 1719. p. 407.

Porrum, i. N. et porrus. M. Sic Martial. ep. 13, 19: *mittit praecipuos nemoralis Aricia porros.*

Portu-

Portulaca, ae, pen. producitur, vt pastinaca. Nomen vetustum, quia, inquit Gesner in Lex. Fabri, foliis portulas imitatur et portulas habere videtur. *Portula* (Peplis), deminutivum, corripitur.

Potamogeton, onis f. potamogiton Plin. ποταμογείτων, Diosc. 4, 101. Omnes casus producunt penult. πόταμος, fluvius, γείτων, vicinus. Amat nasci solo aquoso videlicet et palustri, inde nomen retulit.

Potentilla, ita dicta medio aevo a viribus, quibus eximiis pollet ad frangendum calculum, interiora vulnera et vlcera, Lobelio auctore.

Pothos, i. πόθος, herba Plin. 21, 11, de qua disputat Bodaeus ad Theophr. p. 717-719.

Prasium Graecis ac Latinis erat marrubii species.

Prenanthes. Num ex πρηνής, pronus, et ἄνθος?

Primula, mediam corripit, cum sit deminutivum. Adiectivum primulus, a, um, legitur apud Plautum. Plurimae species ineunte aetate florere solent.

Prinos, i. πρίνος, ου, ilex.

Proserpinaca, ae, pen. produc. Plin. 17. sect. 104. p. 437. Cum Proserpina (pen. correpta) derivatur plerumque a verbo *proserpo*, qua de origine conf. Vossii *etymol.* v. *Serpo*, et Martinii *lex.* v. *Proserpina*.

Protea. Hoc nomen, inquit Thunberg in *Dissertat.* II. p. 25, prae ceteris omnibus synonymis nobis arrisit, idque eo magis, quod genus hocce Proteo fere sit inconstantius, — — ita vt in calyce, receptaculo, corolla certe nulla nota characteristica quaerenda sit. Primus hoc nomen plantae indidit Royenus, quod Linnaeus comprobavit.

Prunella, aliis Brunella, a voce Germanica Bräune, quae est angina, quia huic morbo medetur. Conf. Martinii *lex. philol.*

Psidium. Antiquum nomen psidium, aliis psidion, sidion et psidia, quod a plurimis veteribus punicae (generi affini) impositum fuit. Haec Linnaeus *hort. Cliffort.* p. 184. penes quem sit fides horum synonymorum. Σίδιον Dioscoridi 1, 153. p. 77. est malacorium, hoc est, asperum mali punici putamen.

Psoralea, nomen recens. ψωραλέος, scabiosus. ψώρα, lepra, etiam Latinis psora.

Psychotria, ex Brownii Psychotropho contractum nomen. ψυχοτρόφος, frigore recreans.

Psyllium (Plantago), ψύλλα, pulex, quod pulices fugare, vel potius quod semen eius pulici simile existimetur. Conf. si forte non molestum est, quae annotavimus in Waarenkunde 2. p. 231.

Ptarmica (Achillaea). Dioscoridi 2, 192. πταρμική, a πταίρω, sternuto. Pen. corr. vt logica,

gica, dominica. Galen. *de ſimplic. medic. facultat.* lib. 8. p. 120.

Ptelea, ae. πτελέα, ſecundum lexica eadem arbor, quae ulmus eſſe putatur. Pen. corr.

Pteris, idis. penult. corrip. Plin. 27, 9. filicis ſpecies.

Pterocarpus, novum nomen ex πτέρον, ala, et κάρπος, fructus.

Pterocephalus (Scabioſa), πτέρον, ala, κεφαλὴ, caput.

Pteronia, etiam hoc nomen haud dubie e πτέρον fictum eſt.

Pterota (Fagara), πτερῶτα, i. e. alata, anſata. Habebat Nero duos calyces, quos appellabat pterotos, Plin. 36, 26. Pen. producenda.

Pulegium, pen. corr. Q. Serenus v. 18: *Pulegiumve potens una ſuper aure locabis.*

Pulicaria (Inula). Octav. Hor. 1, 10. herba pſyllium.

Pulmonaria. Latinis pulmonarius eſt, qui laborat pulmonis morbo. Herba e ſententia veterum pulmonum morbo medetur.

Pulsatilla (Anemone). Ita nominatur, Bauhino auctore, quod ſeminum tremuli pappi, leviſſimo flatu, huc atque illuc agitentur. Conf. apud Du Cange voces: *pulſare campanam* et *pulſabulum*, quod, monachorum more loquendi, eſt campana. Ab iſta vulgari no-

menclatione latina non abhorret ea, qua vtuntur nostrates, quibus flos dicitur Küchenschelle, id est, campanula, qua ad prandium convocatur familia. Mihi quidem verisimile est, auctorem nominis non tam semina caudata pilosaque, quam flores campanulis similes, qui vento continue agitantur, respexisse.

PUMILEA (Turnera), id est, pumilis s. pumila s. pumilia, qua voce vsus est Suetonius.

PUNICA, pen. corrip. Mala punica, quae e Phoenicia allata.

PYRETHRUM (Anthemis), olim herba linguam adurens et mordicans. πύρεθρον a πῦρ, ignis. Pen. corrip., quae in metro etiam produci potest ob sequentem mutam cum liquida R. Sic Q. Serenus v. 99: *Purgatur cerebrum mansa radice pyrethri.*

PYRACANTHA (Mespilus), πῦρ, ignis, ἄκανθα, spina, q. d. ignea spina, valde urens ac pungens.

PYROLA nomen ante aliquot saecula factum e folio, quod piri folium refert. Pen. corrip.

PYRUS, i. F. arbor. pyrum. N. fructus. Vtrumque rectius per I, pirus, pirum. Habetur enim pro vocabulo mere Latino; nec aliter in codicibus emendate editis occurrit.

QUAMO-

Quamoclit (Ipomoea), nomen Americanum corruptum.

Quisqualis, nomen Indicum a Rumphio divulgatum.

Radicans (Rhus, Solanum). Penultimam producunt verba radico, eradico.

Radiola (Linum). Originem vocis difpicere non poffum. Columellae dicitur *radiolus* parva oliva, quae vero huc non pertinet.

Raphanus. Diofcor. ῥαφανὶς. pen. corr. Q. Serenus v. 298: *Semine vel raphani permiſto dulcia mella.*

Ranunculus Plin. 25, 13. quod ranarum more humidis limitibus et opacis marginibus laetetur, aut quod ranae inter eius frutices frequenter degant. Bauh. *pin.* p. 178. *Raphaniſtrum* formatum eſt a recentioribus ex raphanus, quem ad modum veteres ex rapa fecerunt rapiſtrum, quod legitur apud Columellam 9, 4.

Rapunculus (Campanula) deminutivum fine auctoritate veterum, quafi parvum rapum; namque dicitur bene et rapa et rapum.

Reseda. Plin. 27, 12. p. 438: *diſcutit collectiones inflammationesque omnes; qui curant ea, addunt haec verba: reſeda morbos reſeda, ſcisne, ſcisne quis hic pullos egerit? radices nec caput nec pedes habeant. Haec ter dicunt, totiesque*

 deſpuunt.

despuunt. Hactenus Plin. Ergo a resedando nomen traxisse videtur herba. Verbum vero resedare rarissime occurrit.

Resina. Non supervacaneum est monere, mediam huius vocis esse producendam, vti sagina, rapina. Q Serenus 746: *Simplice resina miscebimus hordea tusa.* Idem 717: *Resinam misces et saxis ordea fracta.*

Restio, onis. M. Si latinum nomen est, idem est quod restiarius; etsi aliter Fronto, restiarius, inquit, qui facit, restio qui vendit restes.

Rhabarbarum. Dioscoridi 3, 2. dicitur ῥᾶ et ῥῆον, vnde Rheum. Vnum genus dicebatur Rha barbarum, sc. crescens in solo barbarico; alterum Rha ponticum, quod circa Pontum colligitur; tertium Indicum. Conf. Isidor. Pen. corrip.

Rhacoma, pen. produc., sed casus obliqui corripiunt pen. rhacomatis; Plin. 27, 12. graece ῥάκωμα.

Rhagadiolus (Lapsana). Primus obtulit nomen Caesalpinus, qui e patrio sermone sine dubitatione multa nomina botanicae obtrusit, quorum originem hodie vix coniectura adsequi licet. Haec quidem lapsanae species in Hetruria, vbi edulis est, tunc temporis dicebatur *ragaggiolo*, vnde factum est *ragadiolus*, quod nomen rectius scribitur sine adspiratione.

Rheum, ῥῆον, vid. Rhabarbarum.

Rhexia,

Rhexia, ῥῆξις, ruptura, fractura. *Phil. bot.* p. 185.

Rhinanthus, ῥὶν, ῥινὸς, nasus, ἄνθος, flos. Nomen recens.

Rhizophora, pen. corrip. ῥίζα, radix. Φέρω, fero. Ratio nominis ex iis quae Oviedo de Mangle retulit, satis intelligitur, quae adscribamus. "Crescit arbor vliginosis locis, littore „maris, salsuginosisque fluminum et torren„tium in mare delabentium ripis. Plurimae „arbores simul crescunt, multive rami deor„sum vergere et in radices converti videntur; „nam praeter multos, quos erectos, foliisque „onustos atque ab invicem seiunctos, reliqua„rum arborum instar, habet, frequentibus „etiam aliis crassioribus et tenuioribus ἀφύλ„λοις sese ad aquam demittentibus, aut sub „terra aut arena radices figentibus, praedita „est; qui vbi apprehenderint, alios ramos sur„sum vergentes proferunt. Etenim non minus „firmiter haerent, quam primarius arboris „truncus, sic vt ex multis caudicibus simul „connexis videatur arbor." Conf. Bauh. *hist. plant.* 1, 2. p. 415. Adanson Reise nach Senegal pag. 49 et passim.

Rhodiola, ae. Deminutivum ex Ῥοδία ῥίζα, radix rodia s. rosea, quod contrita rosarum odorem referat.

Rhoeas, adis, pen. corr. et Rhoea, ae, papaveris genus iam veteribus.

Rhododendron. Plinio 24, 1. rhododendros, quasi arbor flore roseo, vel rosa arborescens.

Rhodora, ae. media produc. Plin. 24, 19: herba, quam Galli rhodoram vocant.

Rhus, rhois, rhoëm. F. et M. Plin. 24, 11. sect. 54. Conf. *lex.* Martinii.

Ribes, is, de huius vocis origine dubitanter disputo; neque quidquam adferre queo, praeter coniecturam eorum, qui putent, ita Mauritanis dici grossulam s. transmarinam, quae est Linnaei *Ribes rubrum.* Conf. Ruellius p. 213. Certe frutex ante pauca saecula innotuit Europaeis, hodie pervulgatus, quod vel inde intelligitur, quoniam *transmarina* i. e. exotica dicta est grossularia.

Ricinus, i. Nomen, quod grana ferat ricino animalculo similia. Pen. corripit, vt ricinus animal. Q. Seren. v. 699: *Sanguine seu ricini, quem bos gestaverit ante.*

Ritro (Echinops). Haec species in Lobelii *icon.* 2. p. 8. inscribitur: Ritro seu Rutro Theophrasti. Atqui in Theophr. *hist.* 6. cap. 3. p. 588. Cardui species vocatur *ῥύτρος*, de qua disputat Bodaeus ib. p. 611.

Roccella (Lichen). Nomen Lusitanicum. Conf. nostra *histor. invent.* 1. p. 334.

Rosmarinus. m. et *rosmarinum.* n. gen. Penultima producitur. In casu secundo apud Plinium: *rorismarini.* Sed Columella 12, 36: *rosmarini sesquilibra;* sic etiam Scribon. 268:

rosma-

rosmarini folia. Seren. *Ex pipere et calida florem de rore marino Ebibe.* Horat. 3. od. 23, 13: *marino rore.*

Rubia, de qua conf. *Hiſtor. invent.* 4. p. 41.

Rumex, icis. M. pen. corrip.

Ruscus, i. M. de qua herba conf. Crenii *animadverſ. philol.* 10. p. 19.

Ruta, ae, herba dicta, quod propter multiplices, quos de ſe praebet vſus, maxime eruitur. Fabro Gesneri auctore.

Sabdariffa (Hibiſcus), origo nominis me fugit, quam neque Cluſius *hiſt.* 2. cognitam habuit.

Sabina (Juniperus) a Sabinis populis dicta creditur, apud quos frequentiſſima fuit. Pen. produc. Propert. *Et crepat ad veteres herba ſabina focos.*

Saccharum per duplex cc bene; ſacharum per vnum c, perperam. Graece σάκχαρον. Media corripitur. Saccharum *candum*, noſtratibus Kandelzucker, neque a candore, neque a canna dictum eſt; ſed κάντιον Graeci recentiores vocarunt, quod anguloſum ſit, et cum frangitur, in partes ſemper diſſiliat angulatas. Conf. Salmaſ. ad Solinum p. 718. et Du Cange *gloſſar. graec.* p. 577. Sacchari antiquiſſimam hiſtoriam dedimus in *Commentat. phyſ. ſociet. ſcient. Gottingenſis.* V. p. 56.

Saga-

SAGAPENUM, pen. produc. quia Dioſcoridi 3, 95. σαγάπηνον.

SAGINA eſt cibus, quo animal pingue efficitur, ſed qui ita herbam vocaverit, inter veteres invenio neminem. Pen. produc. Juven. *ſat.* 4, 67: *Iſte dies, propera ſtomachum laxare ſaginis.*

SAGITTARIA. Plinio 21, 17. herba dicitur ſagitta, inde recentioribus ſagittaria.

SALACIA, ae. Num dea maris, Amphitrite?

SALICARIA (Lythrum) dicta a ſalicis foliorum ſimilitudine, ſine veterum auctoritate, ſed exemplo noſtratium, qui ob eandem cauſſam vocant herbam Weiderich. Conf. Conr. Gesner *de hortis German.* p. 278.

SALICORNIA, a ſale alcalino dicta, qui e cineribus eluitur. Nomen novum.

SALIX, icis. F. pen. corr. quod repente exiliat, hoc eſt, pullulet.

SALSOLA a Caeſalpino dicta eadem ratione, qua ſalicornia dicta eſt.

SALVIA, ae, herba ſalutaris, a ſalute enim, hoc eſt, ſanitate, quam conferre creditur, dicta eſt. Pen. corripitur ob vocalem ante vocalem, cum ſit latinae originis.

SAMBUCUS, i. pen. produc. Poetis etiam ſabucus. Sic ſaepe numero Q. Serenus.

SAMOLUS, i, Plin. 24, 11. Pen. corr.

Sampsuchus (Thymus), pen. produc. Columella 10, *Nataque iam veniant hilari sampsucha Canopo.* *Σάμπψυχος* Nicandro in *Theriacis.*

Samyda. Ad obscura nomina Graeca refertur in *philos. botan.* p. 175, sed mihi quidem nomen nondum obvium fuit in Graecia, in qua autem non habito, sed subinde diversari soleo, et id quidem libentissime.

Sanamunda (Daphne et Passerina). Ita herbam vocari a Granatensibus Mauritanis, auctor est Clusius *hist.* 1. p. 89. Sed vereor, ne erraverit vir praecellens. Mihi videtur eius originis esse, quam habet *Osmunda;* scilicet ex vetustissimo nomine Germanico factum illud censeo. Nostrates iam ante aliquot saecula Geum vrbanum vulgo appellarunt Sanamund, vel Sanamundkraut. Atque etiam Nicotiana vocabatur olim *Sana sancta Indorum.*

Sanguinaria. Nomen antiquum, quo vsi sunt Columel. et Plin. Sunt qui deducant a colore fructus sanguineo.

Sanguisorba, nomen a recentioribus factum ad exemplum antiqui vocabuli sanguisugae. Herba sanguisorba sanguinem supprimit et quasi absorbet, sententia veterum.

Sanicula. Officinarum nomen a sanandis vulneribus. Pen. corrip. ob speciem deminutivi, vt apicula.

Santalum antiquis ignotum. Avicennae *dsandal.* Pen. corr. vti *σάνδαλον*, sandalium. Conf. quae

quae exposuimus in Waarenkunde 2. p. 112. et Martinii *lex. phil.*

Santolina, nomen ex iis, quae Anguillara obtulit, quorum explicatio magna ex parte difficilis est. Sunt, qui putent, rectius herbam dici sanctolinam. Martinius dubitat, num ab odore santalo, tanquam santalina, an a Santonibus dicta sit. Ex mea opinione idem nomen est, quod Santonicum absinthium Plin. et Santonica herba Columellae. Haec a Galliae civitate appellantur, Plinio auctore. Certe vtrumque et santolina, et santonicum penultimam corripit. Juvenal 8: *Tempora Santonico velas adoperta cucullo.*

Santonicum (Artemisia), herba, qua Santonum (med. correpta) regio, Gallia Alpibus finitima, abundabat. Eadem quae Seriphium. Plin. 27, 7. et Colum. 6, 25.

Sapindus, quasi Sapo Indus, propter fructus corticem, qui saponis vsum praebet. Tournef. p. 659. Inde cognomen *Saponaria.*

Saponaria, quod saponis vicem praebeat ad pannos purgandos, de quo vsu conf. *histor. invent.* 4. p. 22.

Sarcocolla (Penaea), σαρκοκόλλα Dioscor. 3, 90. σάρξ, caro, κόλλα, glutinum, q. d. herba saucias exulceratasve carnis partes adglutinans.

Sar-

Sarcomphalus (Rhamnus), pen. corr. Sed quid hoc? ex σάρξ, caro, et ὄμφαλος, umbilicus, a Brownio compositum?

Sarothra, a σάρωθρον, scopae, dixit herbam Linnaeus, quia folia subulata similitudinem quandam cum scopis habere videbantur. Conf. *amoen. acad.* 3. p. 11. Pen. producenda.

Sassafras (Laurus), nomen ex India occidentali cum ligno venit. Solemus penultimam corripere ob mutam cum liquida.

Sassaparilla s. sarsaparilla (Laurus), i. e. parva vitis, s. viticula aculeata. Conf. quae a nobis annotata sunt ad v. *Granadilla.*

Satureia, quatuor syllabis, dicta vel a Satyris, quod salaces faciat, vt sunt Satyri, vel a saturitate. Colum. 10, 233: *Et satureia thymi referens, thymbraeque saporem.*

Satyrium, σατύριον Diosc. 3, 143. cuius miram vim in Venere concitanda confirmat Plin. 26, 10.

Saururus, a σαῦρος l. σαῦρα, lacerta, nomen impositum dicitur in *philos. bot.* p. 179.

Saxifraga, ae. ab effectu dicta, cum eius stillatitia, vt et decoctum, lapides renales et frangere et pellere dicatur. Bauh. *pin.* p. 309. Pen. corr. Q. Serenus 602: *Saxifragam, seu fontigenam succurrere credunt.* Conf. quae ad h. l. annotarunt viri docti in edit. Burmanni 2. p. 307.

Sca-

SCABIOSA, nomen officinarum ab ſcabro herbae habitu, vt ait Ruellius p. 459 et 585. Pen. produc.

SCABRITA. Puto novum genus dictum eſſe a ſcabra vel ſcabritia ſ. ſcabrities.

SCAMMONIA (Convolvulus), Theophr. 9, 10. σκαμμωνία. pen. corrip.

SCANDIX, icis. F. pen. corr. Veteribus olus agreſte.

SCARIOLA (Lactuca), vox Arabum interpretibus vſurpata, pro endivia vulgari. Pen. corr. ob ſpeciem deminutivi; ſic areola, filiola. BORRICH.

SCHEUCHZERIA, dicta a nobili fratrum pari, quorum alter gramina, alter herbas alpinas ſedulo inveſtigavit, quibus planta haec optime convenit, cum ſit et alpina et graminea. Haec ex Linnaeo audivi.

SCHINUS; i. F. σχίνος Dioſcor. 1, 77. Latinis Lentiſcus.

SCHOENANTHUS (Andropogon), nomen recens factum ex σχοῖνος, iuncus.

SCHOENOPRASUM (Allium), huic, inquit Bauh. *pin.* p. 72, pro foliis iunci inanes ſunt, hinc nomine ex iunco et porro compoſito ſchoenopraſum vocant. Pen. corripitur.

SCHOENUS, σχοῖνος, quod et iuncum et funem denotat apud Graecos, quem ad modum et iuncus a iungendo deſcendit.

SCILLA

SCILLA et ſquilla, per i bene ſcribitur; in Graeco eſt enim σκίλλη. Scilla eſt ſcopulus iſte in Italiae et Siciliae confinio.

SCLAREA (Salvia), ab Italis inditum nomen, Ruellio auctore.

SCLERANTHUS. Dixi, inquit Lin. *h. Cliffort.* p. 167, plantam ſcleranthum, ſeu florem cinereum vel incanum a colore florum ſingulari, et paucis plantis communi. — At fefellit memoria virum optimum. Nam σκληρὸς, α, ον, neque cinereus, neque incanus eſt, ſed exuccus, ſucco carens, aridus, amiſſo humore naturali, ideoque durus ac fragilis. Atqui haec epitheta in flores huius generis omnino conveniunt.

SCOLOPENDRIUM (Aſplenium). Theophr. 9, 19. σκολοπένδριον, idem quod ἀσπλήνον.

SCOLYMUS, pen. corr. De herba, quae veteribus ita dicta eſt, diſputavimus in *Hiſtoria inventionum* 2. p. 206.

SCOPARIA ab vſu oeconomico ad ſcopas dicta eſt a Linnaeo. *Philoſ. bot.* p. 168. Latinis ſcoparius eſt, qui pavimenta ſordentia ſcopis munda reddit.

SCORDIUM (Teucrium). σκόρδιον. Penultimam producendam eſſe probat Borrichius auctoritate Andromachi apud Galenum. Herba ita dicta eſt ἀπὸ τοῦ σκορόδου, hoc eſt, ab allio, cuius odorem et acrimoniam etiam haec teucrii ſpecies refert.

Scordotis, is, ſcordotin (Nepeta), pen. produc. Plin. 25, 6. p. 368. eſt herba guſtus amari, ad ſimilitudinem ſcordii accedens. Nepetae ſpecies Linnaeana allii odorem, vt ſcordium, refert, et in tota fere Creta ſeplaſiarii pro ſcordio promiſcue hac herba vtuntur, ideoque Honor. Bellus non dubitat, quin ſit ſcordotis Plinii. Conf. Cluſii *hiſtor.* 2. p. 312.

Scorodonia (Teucrium) ex σκόροδον, allium, deductum adiectivum, ſc. herba. Pen. corr. Macer 1, 5, 1: *Scorodon Argive ſunt allia dicta Latine.*

Scorodoprasum (Allium), σκοροδόπρασον Dioſcor. 2, 142. herba foliis porraceis, odore allii. Pen. corrip.

Scorpiurus. Plin. 22, 21. οὐρα, cauda, quod fructus quodam modo ſcorpii caudam refert. Sed fructus ſpeciei, quae *vermiculata* dicitur, larvam piloſam papilionis omnino refert.

Scorzonera. Nomen Hiſpanicum, de quo egimus in *Hiſtor. inventionum* 5. p. 140. Pen. produc. exemplo Latinorum in *—era.* Ita panthera, Abdera.

Scrophularia, dicta a radice nodoſa et ſcrofulis ſanandis accommodata, Borrichio auctore. At male ſcribitur per ph, cum ſit a ſcrofula, quem morbum, quod ſues plerumque patiuntur, ſic dicunt. Ab eodem animali etiam Graeci ſcrofulas χοιράδες appellarunt. Scribitur

tur vero ſcrofa, i. e. porca, non ſcropha. Scrofulariae herbae mentio apud veteres nulla.

Scurrula (Loranthus), deminutivum eſt nominis ſcurrae, neſcio qua ratione huic herbae impoſitum. Pen. corrip.

Scutellaria, Linnaeo auctore *philoſ. bot.* p. 168. a figura calycis ita dicta, Bauhino conſentiente, *prodrom.* p. 110.

Sebestena (Cordia). Arabicum nomen eſſe aiunt Ruellius p. 199. et Bauh. p. 446. Sed Ruellius p. 238. et 262. mavult deducere a σεβαςὸς, ὴ, ὸν, venerandus, quo nomine Graeci imperatores ſalutare ſolebant, quos eadem ratione Latini *auguſtos* compellabant. Herba olim ſebaſte et ſebeſte dicebatur, σεβαςὴ, vnde, adiecta terminatione latina, *ſebeſtena.* Quod ſi verum eſt, non male penult. producere ſolemus.

Securidaca, pen. corrip. Plin. 18, 17. Ita nominata, quod fructus bipennis effigiem emuletur.

Sedum, nomen auctoritate veterum probatum.

Selago, pen. prod. ſelaginis, pen. corr. Plin. 24, 11.

Selinum, pen. prod. σέλινον.

Sempervivum a ſempiterno virore, ſed nomen adiectivum aegre accepit Lin. conf. *phil. bot.* p. 161.

Senecio, onis, pen. produc. dicta, inquit Plin. 2. p. 386, quia vere canescit, quem ad modum a Graecis ἠριγέρων. Cum Plin. statim addat: *caput eius numerosa dividitur lanugine*, videntur veteres nomen deduxisse a corona seminum papposa. Nam quaecunque demum sit senecio veterum, pappum eam habuisse satis cognoscimus.

Senna (Cassia), nomen Arabicum, quod apud Serapionem *Sene* scribitur, cuius ex Graecis solus Actuarius meminit.

Septas, adis. pen. corrip. A septem ita dicta est herba, quae numero septenario, alioquin rara in plantis, abundat. Habet enim septem stamina, totidem pistilla, germina, petala, pedunculos, (raro octo), et calyx etiam septem partitus est. Nomen septas pro ἑπτας Latinis in vsu fuisse, auctor est Macrob. in *somn. Scip.* 1, 6.

Seriola, ae. Latinis quidem deminutivum est nominis *seria*, hoc est, vas oblongum, situlae simile, vino oleoque condendo. Conf. Gesneri index in auct. R. R. et Pallad. *Mart.* 10, 9.

Seriphium et Seriphum, media producta, σερίφιον. Plin. 27, 7.

Serotina (Festuca), pen. corripitur. Nam quae ab adverbiis descendunt, corripiunt penultimam, vt crastinus a cras, pristinus a prius, diutinus a diu, atque sic etiam serotinus a sero.

SERPYLLUM (Thymus) herba ita Latinis dicta, quod, quaecunque eius pars terram attingat, in ea radices demittat. Virg. *ecl.* 2, 10.

SERRATULA, a foliis minutim ſerratis nomen accepit. Plin. 25, 8.

SESAMUM, pen. corr. σήσαμον. Dicitur Latinis quoque Seſama. Plin. 15, 7. et 18, 10.

SESBAN (Aeſchynomene), nomen ex Aegypto. Conf. P. Alpin. *de plantis Aegypti* p. m. 42.

SESELI. N. et Seſelis, is. F. media correpta. Dioſcor. 3, 55, 56. Cicero *de nat. Deor.* 2, 49.

SICYOS. media corrip. σίκυς. Latinis Sicys, yos. M. eſt cucumis, vnde herbam hanc cucurbitaceam Tourneſ. vocavit Sicyoidem, quod nomen Linnaeus contraxit, ſeu decurtavit. Conf. Foeſ. *oeconom. Hippocr.* p. 565.

SIDA, ae, nomen, quod Linnaeus a Theophraſto accepit.

SIDERITIS, pen. produc. ſideritidis, pen. corrip. σιδηρῖτις. Plin. 25, 17. herba, vti Siderion Plin. 25, 4. inde dicta, quod omnia vulnera ferro illata ſanat. σίδηρος, ferrum.

SIDEROXYLON, nomen recens e σίδηρος, ferrum, et ξύλον, lignum, quod primum occurrit in *Par. Bat. prodr.* p. 375. 376. Anglis: *the iron-wood*, Belgis *yzerboom.*

SILENE. Etſi Lin. perhibet, ſeſe nomen hocce accepiſſe a Theophraſto, atque Aldrovandus

ac Lobelius muſcipulam Linnaei nominarunt Silenem Theophraſti, tamen mihi nondum contigit invenire nomen in ſcriptis Theophraſti. Conf. Bauh. *pin.* p. 205. et Penne *adverſar.* Si nomen deducitur a σίλνηος, debet media produci.

Siler. N. (Laſerpitium), ſileris, med. correpta. Latinis eſt virgulti genus.

Siliqua (Ceratonia), media corrip. Q. Serenus 315: *Decoctis potantur aquis, ſiliquaeque madentes.* Graecis κεράτιον. Etiam *Siliquaſtri* nomen occurrit apud Plinium.

Silphium, i. pretioſiſſimus ſuccus Cyrenaicus, veteribus maxime celebratus, qui Aſſa foetida eſſe videtur. Foeſ. *oeconom. Hippocr.* p. 566.

Sinapis, is. F. et *Sinapi*, genere neutro et indeclinabile, producitur. Columella 10, 122: *Seque laceſſenti fletum factura ſinapis.* Vindicianum 37. perperam penult. corripuiſſe, monet Borrichius. Grammatici praecipiunt in accuſat. dicere *ſinapim.*

Siphonanthus, nomen novum ex σίφων, ſipho, tubus, ergo flos tubuloſus.

Sipyleum (Origanum). Herba ſic dicta a monte Phrygiae Sipylo (media correpta), vnde Latinis adiectivum Sipyleius vel Sipylaeus. Igitur Sipylaeum per ae ſcribendum eſt. Stat. *ſylvar.* 5, 1, 33.

Sisarum (Sium), media corr. idem olim fuit, quod ſiſer, ſiſeris, N. etiam media correpta, de

de quo conf., si forte non molestum est, quae disputavimus in Vorrath kleiner Anmerkungen über gelehrte Gegenstände. 1795. 8. pag 21.

Sison, onis; med. corr. cuius de semine quaedam referuntur a Plinio, Dioscor. et Apuleio.

Sisymbrium, cuius frequens mentio apud veteres, sed quaenam sit herba, nondum argumentis botanicis probatum est.

Sisyrinchium. Plin. 19, 5 et 6. bulbi est genus.

Sium, σίον. Plin. 22, 22.

Smilax, acis. pen. corr. Ovid. *Metam.* 4, 283:
Et Crocon in parvos versum cum similace flores.

Smyrnium, σμύρνιον, olim eadem herba, quae olusatrum.

Sodomeum (Solanum). Est adiectivum gentile e Sodoma, quod rectius scribitur, nisi quid me fallit, Sodomaeum. Sic enim e Corcyra fit Corcyraeus.

Soja (Dolichos), nomen Indicum. Conf. Waarenkunde 1. pag. 104.

Solanum, Plin. 27, 13. Penult. producitur, sive a solamine derivetur, quod herba sit soporifera, sive a sole, vnde et subsolanus.

Soldanella; habet folia rotunda, quae formam referunt nummorum, vnde a Soldo (solidus), moneta Italica, iam dudum nomen accepit.

Solidago, olim etiam quibusdam Soldago. Pen. produc. nomen ex medio aevo a soli-

 dando

dando vulnera, inquit Linnaeus. Quod eo comprobatur, quod antiquiores ſolidaginem fecerint ſymphyti ſpeciem.

Sonchus, i. σόγχος. Plin. 22, 22. et 26, 15.

Sophera (Caſſia) et Sofera. Nomen Arabicae originis. Primam herbae deſcriptionem dedit H. Bellus in *epiſt.* 4. ad Cluſ. in Cluſii *hiſt. plant.* 2. p. 307.

Sophia (Siſymbrium). Nimirum ſophia chirurgorum, quippe qui olim hac herba frequenter vſi ſunt. Pen. bene corripitur, vt in philoſophia, ſed vſus loquendi diſſentit.

Sophora et ſophera eſt verbum antiquum plantae, "huic (quae nunc hoc nomen habet) „proximae impoſitum, quo vtor ad deſignan„dum hocce genus, quod ſophorum, ſive ſa„pientiam ac admonitionem fert, ſtaminum „filamenta in papilionaceis, ſi ſeperata inter „ſe ſint, vix claſſe naturali coniungendas eſſe „plantas, ſi vnquam limites claſſis reperiendi „ſint." Haec Lin. *h. Cliff.* p. 156, non ſatis perſpicue. Sed facile intelligitur eſſe idem nomen, quod habet Caſſiae ſpecies. De quantitate penultimae in nomine barbaro nihil ſtatuo; vulgo vero corripitur, vt amphora, helleborus, corrobora.

Sorbus, i. F. cuius arboris frequens mentio eſt apud veteres.

Sorgum (Holcus), nomen barbarum. Conf. *hiſtoria invention.* 2. p. 546.

Sparganium, σπάργανον et σπαργάνιον, fascia, fasciola; quod foliis eius latis et vitilium modo lentis, pro fasciis nutrices vtantur. Conf. Diosc. 4, 21.

Spartium s. Spartum, de qua herba veterum, videsis *histor. invention.* 3. p. 124.

Spathelia. Brownio arbor vocabatur Spathe, es, quod nomen apud Plin. 12, 28. denotat arborem quandam. Inde finxit Lin. Spathaliam. Latinis spathalium, i. N. deminutivum est, palmae ramulus cum dactylis dependentibus, de quo Martial. 13, 27.

Spelta (Triticum) e vetusto nomine Germanico Spelt, s. Spelz, de quo conf. Frisch. teutsches Wörterb. Primus tamen inter Latinos hoc nomine vsus est iam Priscianus *de ponderibus* v. 12. inter poetas minores a Wernsdorfio editos V, 1. p. 496. Auctor vixisse creditur saec. sexto.

Spergula. Etiam hoc nomen opinor esse Germanicae originis.

Spermacoce. Nominis auctor Dillenius in *horto Elthamensi* p. 369, "a seminis aculeati forma „plantam Spermacocen voco, — — cui flores „monopetali tubulosi, in quatuor aequales la„cinias divisi, seminibus insidentes gemellis, „mucronatis et aculeatis pro characteristica „nota sufficiunt." — Ergo nomen derivatum est ab ἀκωκή, mucro, acumen.

Sphaeranthus, nomen novum e σφαῖρα, globus.

Sphagnum Plinio passim pro canis arborum villis.

Sphondylium (Heracleum) legitur apud Scribon. 2, 5.

Spicant (Osmunda). Nomen in Germania corruptum e *spica nardi* seu *spica Indica*. Videntur maiores osmundae hocce nomen indidisse, quod eius radices ad similitudinem spicae Indicae accedunt. Quae est sententia Gesneri in *hort. German.* p. 265. B.

Spinacia, nomen veteribus ignotum, quod saec. 14. innotuit, deductum a semine spinoso atque aculeato. Videsis *hist. invent.* 5. p. 116.

Spiraea. Theophrasto 1, 23. σπεῖραια. Nomen accepisse contendunt ἀπὸ τῆς σπεῖρας, quod frutex sit lentus et vitilis, ita vt in spiram torqueri possit. Plinio 21, 9. spiraeon.

Splachnum. Num e Graeco σπλάγχνον, quod est viscus. σπλάγχνα, viscera. *Philos. bot.* p. 181.

Spondias. Arboris nomen, quod ita scribitur in antiquis edit. Athenaei lib. I. Stephano teste. Sed in edit. Commelina 1597. fol. p. 50. legitur σποδιὰς, et sic etiam in Theophr. *hist. plant.* 3, 7. p. 138: σπόδιας, αὕτη δ᾽ ἐστιν ὥσπερ ἀγρία κοκκυμηλέα, i. e. *spodias, quae velut silvestris prunus habetur* Ceterum hoc nomen satis bene convenit in speciem, quam *luteam* vocamus, quam arborem antiquiores vocarunt prunum Americanam.

Squa-

SQUAMARIA (Lathraea) a radice ſquamata dicta, ſine auctoritate veterum.

STACHYS, yos. Plin. 24, 15. pen. corr.

STAPHISAGRIA (Delphinium) ex σαφὶς ἀγρία, ſtaphys ſilveſtris. Staphidis pen. corr. Sic quoque aſtaphis, aſtaphidis, vtrumque penult. corripit. Hoc quidem eſt uva paſſa Plin. 23, 1.

STAPHYLEA. Sic Dalechampii aliorumque ſtaphylodendron contraxit Linnaeus, deducens nomen ex σαφυλή, quam plantam Apulej. *de herbis* vocat agriam ſtaphylen. Ergo pen. producatur et ſcribatur per e ſimplex, non per ae, quod factum eſt in *Philoſ. bot.*

STATICE, es. Pen. corr. Plin. 26, 8.

STELIS, is. F. (Loranthus). Stelis Plin. 16. et Theophr. *de cauſſis* 3, 16. σελὶς eſt genus viſci, ſed neſcio, an inde haec loranthi ſpecies dicta ſit.

STELLARIA, a floris forma, ſed ſine auctoritate veterum.

STELLERA. Hoc nomen Gmelinus huic generi indidit, cui refragari noluit Linnaeus; alioquin hoc genus retuliſſet ad Theſium, a quo tantum numero ſtaminum differre videtur. Qui omnia, quae ad Stelleri, viri de hiſtoria naturali optime meriti, fata pertinent, anquirere vult, ne praetermittat ea, quae a Pallas mecum communicata retuli in Phyſikal. ökonomiſch. Bibliothek VI. p. 191. et VIII. p. 453. Autographum Stelleri bibliothecae acade-

academicae Gottingensis intuli, posteritati conservandum.

Stemodia, nomen a Linnaeo contractum ex Stemodiacra, quod Browne dederat. Sed is nomina negligentius elegit et constituit, quam vt omnia queant explicari. Num a ϛημα? de cuius vocis variis notionibus conf. *thesaur.* Stephani.

Sterculia. Herba pessimi odoris, quocirca nomen a stercore traxit, Linnaeo auctore.

Stilbe. Num Graecorum ϛίλβη, nitor, splendor?

Stipa, stypa, stupa et stuppa, i. e. crassius lini purgamentum, cortici proximum. Sed Ruellius p. 585. auctor est, Dioscoridem commemorasse, stoeben Graecorum a Latinis stypam dici. Nescio, vbi id dixerit; equidem locum nondum inveni.

Stoebe, es. ϛοιβὴ. Plin. 21, 15. et 22, 11.

Stoechas, adis. F. (Lavandula), ϛοιχὰς, planta in Stoichadibus insulis nascens. Ideo pen. corrip. Nam Lucanus 3, 516: *Stoechados arva tenens, nec non et Graia iuventus.*

Stramonium (Datura), sunt qui putarint, ex strychno factum esse strychmonium, atque hoc deinde corruptum esse stramonium. Fuchs. auctor est, nomen Italis esse in vsu.

Stratiotes, ae, vel stratiotis, idis, pen. nominativi producitur, cum graece sit ϛρατιώτης. Plin. 24, 18. dicitur folium militare, et ϛρατιώτης est miles, quo nomine nostrates in ser-

ſermone vulgari etiam nunc vtuntur, quando iuvenem male moratum ac ruſticum velint notare, Stratiot.

Strobus, i. (Pinus). Plin. 12, 17. arbor odorifera apud Germanos.

Struthium (Gypſophila), vid. *hiſtor. invent.* 4. p. 19. vbi periculum fecimus, ſtruthium veterum declarandi.

Struthiopteris (Osmunda) ex ſtruthium et pteris, filix.

Strychnos et ſtrychnum, στρύχνος. Plin. 28, 11. et 27, 8 et 13.

Stylus, i. M. rectius *ſtilus* per I. Vocabulum enim pure Latinum eſt, ſaltim latinitate donatum. Στύλος apud Graecos eſt columna, ſed ita dici coepit de rebus parvis columnae ſimilitudinem qualemcunque habentibus.

Styrax, acis. F. et M. pen. corrip. Virg. in *Ciri* 168: *Non ſtyrace Idaeo fragrantes tincta capillos.*

Suber, eris. (Quercus), pen. corrip. Q. Serenus 378: *Vritur interdum raptus de ſubere cortex.* De arbore conf. *Hiſtor. inventionum* 2. p. 477.

Subularia, a figura foliorum dicta eſt in *philoſ. bot.* p. 168. Subula, inquit Gesnerus, inſtrumentum ſuendi ferreum, quo vtuntur opifices ad perforandas pelles ac coria, cum conſuere volunt. Inde etiam folia *ſubulata* botanicis vocantur.

Suc-

Succisa (Scabiosa), pen. produc. quod radix humano generi salutaris vulgo existimetur ab invido daemone succisa esse, vnde morsus Diaboli nomen quoque invenit. Borrich.

Swietenia. Jacquin *pl. Americ.* p. 64: "Genus „hoc in honorem Gerardi L. B. a Swieten dixi; „huius enim plurima vt praeteream nec peritura vnquam in scientias merita, id vnum „iuvat commemorasse, quanto illi etiam ipsa „Flora devincta sit beneficio, qui apud Austriae „dominam consilio suo effecit, vt botanico „horto aucta sit universitas Vindobonensis." Hactenus Jacquin. Noluit Linnaeus refragari, etsi Swieten botanices doctrina imbutus non fuerit. Atqui genus huic viro consecratum admodum affine est Cedrelae, ob fructus, corollae ac foliorum similitudinem, etsi staminum numerus idem non sit. Confidit Linnaeus, fore, vt posteri genus Swieteniae reducant ad Cedrelam, cui iam Catisbaeus arborem a se primum descriptam non temere annumeravit. Quo facto aliquando evanescet nomen Swieteniae, e voluntate Linnaei.

Sycomorus (Ficus), *συκόμοϱος*, a *σύκη*, ficus, et *μόϱον*, morum. Arbor veteribus valde celebrata.

Symphoricarpos (Lonicera), nomen recens ex *σύμφοϱος*, congestus, *καϱπος*, fructus. Hoc nomen, ait Dillenius in *horto Eltham.* p. 371. huic generi adscivi, quoniam flores et fructus e foliorum alis dense congesti nascuntur.

Sym-

SYMPHYTUM, i. σύμφυτον. Plin. 27, 6. pen. corrip.

SYMPLOCOS, recens nomen deductum a συμπλοκή, ſymploce, i. e. connexio, complicatio. Pen. corr.

SYNGENESIA. Nomen a Linnaeo confictum, cuius penultima corripienda eſt. Geneſia, orum, τὰ γενέσια, dicebantur feſta, quibus amici natalem celebrabant defuncti, cuius memoriam ſervare ſtudebant. At nullum reperitur apud veteres compoſitum e συν et γένεσις.

SYRINGA. Licet Africum vocabulum videatur, aliquibus tamen a virgarum rectarum longitudine et inferioris medullae fungoſa copia dicitur; vel potius quod ramuli exempta medulla fiſtuloſi ſint. Bauh. *pin.* p. 398.

TAEDA ſ. teda (Pinus). Latinis non fuit arbor ipſa nec ſpecies, ſed lignum arborum earum, quae reſinam ferunt, et obeſitate laborant, ita vt lignum reſina redundet. *Laricis morbus eſt*, inquit Plin. 16. ſect. 19. p. 9. *vt teda fiat.* Idem lib. 16, 24. p. 83: *nimia pinguedine in tedam mutantur.* Attamen teda appellabatur praecipue haec ſpecies, quae ſaepius illo morbo infeſtatur.

TAGERA (Caſſia) nomen Indicum.

TAGETES. A Jovis nepote nomen habere hoc herbarum genus, auctor eſt Lin. *phil. bot.* p. 175.

p. 175. At Jovis nepos, aruſpicinae inventor, vocabatur Tages, is, vel Tages, etis, penult. producta. Mihi quidem non veriſimilis iſta ſententia. Fortaſſis nomen cum flore venit ex Africa vel ex Luſitania. Primus hoc vſus eſt, niſi me fallo, Fuchſius, qui *hiſtor. plant.* p. 45. Tagetis, ait, nomine Apuleius vſus eſt, et Tanacetum appellat. Mihi quidem neutrum nomen in Apuleii libello occurrit.

Tamarindus. Salmaſio teſte ad Solin. p. 930. B. Arabibus *Tamar* eſt palma. Inde Tamarindi dactyli indici, quos tamen arbor fert, nulla cognatione aut ſimilitudine palmam attingens. Iſti tamarindi veteribus ignoti. Myrepſo dicuntur ταμαρίντι, aliis ταμαρέντι et ταμαρόντι. Conf. Du Cange *gloſſar. graecit.*

Tamarix, pen. corr. tamaricis, pen. produc. F. Lucanus 9, 917: *Et tamarix non laeta comas, Eoaque coſtos.*

Tamus, aliis tamnus, aliis tamarum, apud Plin. 21, 15. p. 247.

Tanacetum pen. produc. ſed nomen incertae originis. Sunt qui deducant ab eo nomine, quo etiam parthenium quosdam vocaſſe, refert Plin. 21, 30. p. 261, verum hoc nomen vario modo legitur. In antiquiſſimis editionibus *tamnum*, apud Hardouin. *amnacum.* Sed cum olim tanacetum a quibusdam etiam *Athanaſia* dicta eſt, parum abeſt, quin credam, ex hac voce, abiecta ſyllaba prima, in officinis tandem factum eſſe tanacetum.

Tara-

TARAXACUM (Leontodon) ex Arabico nomine formatum. Antiquioribus ſcribitur etiam Altaraxacon; ex. gr. in Fuchſii *hiſtor. ſtirp.* Lugduni 1551. 8. p. 644.

TARCHONANTHUS. Tarchon ſ. tarcon creditur nomen eſſe Arabicum, quod variis herbis datum eſt, ex. gr. Artemiſiae dracunc. Primus inter Graecos eo vſus eſt Simeon Sethi *de alimentis* p. m. 124. ταρχον. Ex hoc nomine atque ex Graeco ἄνθος, facta eſt vox hybrida tarchonanthus.

TATULA (Datura), ſcribitur et tatulo, tatoula, datula, crediturque eſſe vel ex Perſide, vel ex Turcia. Conf. Guiland. *de papyro.*

TAXUS, i. venenata arbor adeo credebatur, vt venena inde toxica appellata ſint, de quibus conf. annotat. ad Ariſtot. *mirabil. auſcult.* p. 179. et ad Antigon. Caryſtii *hiſt. mirab.* p. 237.

TAZETTA (Narciſſus), deminutivum nominis Italici tazza, tazzetta, cupula, ob formam floris. Ex eadem voce Italica noſtratibus eſt Taſſe, Theetaſſe.

TELEPHIUM, dictum volunt, quod vlceribus malignis ac deploratis, quibus Telephus, Myciae rex, ab Achille vulneratus conſenuit, auxiliatur. Plin. 27, 13.

TEREBINTHUS (Piſtacia), olim τέρμινθος, nam τερέβινθος recentius nomen eſt. Conf. annotat. ad Ariſtotelis *mirabil. auſcult.* p. 184.

Tetracera, dicta ob quatuor capſulas fructu cornuum inſtar reflexas. *Hort. Cliffort.* p. 214. *τέτρα* in compoſitione idem quod *τέτταρα*, quatuor, *κέρας*, cornu. Penult. corrip. vt monoceros.

Tetragonia, ex *τέτρα*, quatuor, *γωνία*, angulus; frutex fructu tetragono. Boerhavii aliorumque nomen tetragonocarpus reiecit Lin. tanquam ſesquipedale. *Hort. Cliffort.* p. 188.

Tetragonotheca, *θήκη*, theca, loculus, capſula. Pen. produc. Hodie ſpecies Polymniae. Pen. producitur; ſic apotheca.

Tetrahit (Galeopſis), Ruellio p. 594. et Stephano in *praedio ruſtico*, qui plurima a Ruellio, viro doctiſſimo, mutuatus eſt, p. 364. et 447. tetrahil vocatur, quod nomen barbarum neuter explicavit.

Tetralix (Erica). media corr. Nomen herbae apud Theophr. *hiſt.* 6, 3. in fine. Tetralicis, tetralice Plinio. Pen. produc. vt bilicis, trilicis. Virg. Aen. 4, 467: *Loricam conſertam hamis, auroque trilicem.*

Teucrium, *τεύκριον*, herba, quam a Teucro repertam Plinius ſcribit 25, 5.

Thalia. Noli putare, eſſe nomen Muſae, cuius pen. producenda. Traxit nomen a Joh. Thalio, medico Northuſano; ergo pen. corrip.

Thalictrum, vetuſtum nomen, quod a *θαλέω*, floreo, vireo, deducitur.

THAPSIA, θαψία, nomine invento a Thapso insula. Conf. Plin. Thapsus s. Tapsus, herba, cuius mentionem Lucanus 9, 919. iniecit, quae creditur esse verbascum. Atqui *Digitalis thapsi* habet folia verbasci. Inde cognomen *Dig. Thapsi*, et *Verbascum thapsus.*

THELYGONUM, θηλύγονον. Plin. 27, 8. et 28, 10 et 15. ex θῆλυς, femineus, et γόνυ, genu. Pen. corrip.

THELYPTERIS, eridis. (Acrostichum), θηλυπτερὶς, pen. corripiunt omnes casus. q. d. filix femina. Plin. 27, 9.

THEOBROMA, i. e. cibus deorum, βρῶμα, ατος, et βρώμη, βρώμης, cibus. Pen. produc. *Hort. Cliffort.* p. 379.

THESIUM, herba Plinio 27, 17. et 22, 22.

THLASPI. N. θλάσπι. Plin. 27, 13. Diosc. 2, 145. a θλάω, frango; a fructus forma, ait Bauhinus, qui veluti confractus et contusus est.

THORA (Ranunculus). vid. v. *Antithora.*

THRYALLIS, idis. pen. corr. Plin. 21, 17. et 25, 10. θρυαλλὶς.

THUIA, ae. θύα et θυῖα. Plin. 13, 16. Theophrast. 5, 5.

THYMBRA, ae. Plin. 19, 8.

THYMELAEA, θυμελαία, quasi tithymalaea, ex tithymalo et olea mixta facie. Bauh. *pin.* 462. Plin. 13, 21.

Thymus, i. M. et thymum. N. herba odorata, cuius frequens mentio est apud veteres.

Tiarella. novum nomen deminutivum. Tiara, ae, pen. producta, pileus altus.

Tiglium (Croton). Fructus huius arboris dicuntur in officinis *grana tiglia*, gallice *grains de Tilli ou des Moluques*, quod nomen, opinor, inditum est ab insula quadam Moluccensi, quae hanc arborem fert.

Tinus, species lauri Plin. 15, 30. et Ovid. *metam.* 10, 98.

Tithymalus (Euphorbia), s. tithymallus, pen. producta. Q. Serenus 841: *Aut tithymallus atrox vulnus contrita perungit.* Conf. v. 1106.

Toluifera. Balsamum Tolutanum, s. de Tolu dicitur in officinis, quod adfertur ex Americae provincia Honduras, quam Americani Tolu vocant. Dicitur igitur arbor illud balsamum ferens toluifera.

Tomex, icis. Pen. corr. F. Latinis restis est ex cannabi impolito leviter torta. Quod nomen arbor Malabarica accepit, cuius rami, pedunculi petiolique omnes crasso tomento mirum in modum vestiti sunt.

Tordylium. Plin. 20, 22. et 24, 19.

Tormentilla, quod radicis pulvis cum alumine cavis dentium inditus, dentium tormentum sive cruciatum sedet, Bauhino auctore p. 326. Nomen ante aliquot saecula innotuit.

Toxicodendron (Rhus), q. d. arbor venenata et pestifera.

Trachelium ex τράχηλος, collum, quod in colli affectibus commendatur. Bauh. Nomen auctoritate veterum caret.

Tragacantha (Astragalus), τραγάκανθα, q. d. hircina spina. τράγος, hircus, ἄκανθα, spina. Conf. Dioscor. et Theophr.

Tragodes (Fagara). Videtur ex τράγος factum nomen, sicut τραγῳδὸς, i. e. tragicus; media itaque producenda videtur.

Tragopogon, onis. M. pen. produc. τραγοπώγον, πώγον, barba; q. d. barbula hirci. Etiam nostrates vocant Bocksbart. A prolixa lanugine, quae post florem erumpit, s. a pappo, nomen traxit. Conf. Dioscor. ac Plinius.

Tragus (Salsola), nomen herbae antiquum. τράγος, hircus.

Trapa, nomen Gallicae, vel potius Germanicae originis, a Trape, Trappe, Ruellio p. 134. consentiente. Trapas, inquit, aliqui nominarunt, quo nomine murices intelliguntur, et Graecis tribuli, ad quorum similitudinem fructus accedunt.

Tremella. Appellatio deducta est a tremulo motu, quem plures huius generis species ob substantiae teneritatem contrectatae subeunt Ita Dillenius *histor. muscor.* p. 42.

Trianthema, ex ἄνθεμις, flos, et τρὶς, quae ſyllaba in compoſitione eſt tres vel ter. Pen. corripitur.

Tribulus. Media corrip. Notio et ratio nominis vt in Trapa, ſed tribulus iam Latinis fuit nomen herbae.

Trichomanes, is. N. pen. corrip. Dicitur a vi ſua, quod rara cute fluentem capillum expleat, et ſubnaſci faciat. μανὸς, rarus, θρὶξ, τριχὸς, capillus. Bauh. *pin.* p. 355.

Trichosanthes, quaſi flos piloſus dicitur, cum nota eſſentialis generica in pilis conſiſtat. Lin. *h. Cliff.* p. 450.

Trichostema, ex θρὶξ, τριχὸς, capillus, ſeta, et ςῆμα, ατος, ſtamen, a Linnaeo fictum nomen, ob filamenta capillaria, longiſſima.

Tridax, male. Nam eſt θρίδαξ, ακος, lactuca; ergo ſcribatur thridax, acis; pen. correpta. Q. Serenus 448: *Quod ſupereſt thridaci junges ramenta carinae.* — ad quem locum conf. annotat. in edit. Burmanni.

Trientalis, a foliorum ſpecie nomen traxit. Iam Plinio 27, 5, folia *trientalia* dicuntur, quae amplitudine quatuor pollices aequant. Pen. produc.

Triglochin. γλωχὶν, ῖνος, cuſpis teli, τρὶς, tres; a capſula dehiſcente in tres cuſpides. Pen. produc.

Trigo-

TRIGONELLA; a corolla trigona nomen traxit, Linnaeo auctore, *philos. botan.* p. 166.

TRILLIUM, dictum ita a Linnaeo, quoniam omnes species habent folia terna.

TRIONUM (Hibiscus). Illud quidem nomen apud Theophrastum non legitur, sed Theodorus Gaza interpres vbique ἐρύσιμον Theophrasti reddidit *trionum*. Opinatus est enim, ἐρύσιμον esse *polygonum fagopyrum*, quod ob semina triquetra vocavit trionum, quasi trigonum. Itaque penult. producenda est.

TRIOPTERIS. Est nomen Plukenetii, a triplici ala, vt in semine plantae, dictum. Haec Lin. in *horto Cliffort.* p. 169. πτέρον, ala. Pen. corrip.

TRIOSTEUM. Hoc modo praecidit Linnaeus *triosteospermum* Dillenii. ὀςέον, os, ossis. Sunt enim semina fere ossea.

TRIPLARIS. Nomen aevi serioris, quo solus vsus est Macrobius 1, 6. p. 27. et 1, 19. p. 97. et 2, 1. pag. 119. Ferme eadem notione, qua *triplex*. Media producitur, quem ad modum alia vocabula desinentia in —*aris* et —*are*, vti molaris, popularis, linearis.

TRIPOLIUM (Mesembryanthemum) Plin. 26, 7. sect. 22. τριπόλιον Dioscor. 4, 130.

TRIPSACUM. Solus Theodorus Priscianus *de diaeta* cap. 9. nominavit herbam tripsacam, non tripsacum. Pen. corrip.

Tripteris (Valeriana). Nihil quidquam ad vocis explicationem adferre queo, neque ſcio quae fuerit cauſſa, quam ob rem ita appellata ſit. τριπτὴρ, ῆρος eſt tritor a τρίβω, ſed haud ſcio, an inde nomen ſit deductum. Nec illud mihi occurrit alibi. Quodſi ortum eſt ex τριπτὴρ, media eſt producenda.

Triquetrum folium. Media corripitur ob mutam cum liquida, quem ad modum lugubris, podagra, pharetra; etſi poetis liceat talem ſyllabam producere.

Trixago (Rhinanthus) Plin. 24, 15. et Celſus 8, 31. Sed Apuleio *Triſſago*, media producta, ſed trixaginis, media correpta.

Trollius. Primus inter Botanicos hoc nomine vſus eſt Con. Gesnerus in *deſcriptione montis fracti ſeu Pilati*, quae repetita eſt in Scheuchzeri *hiſtor. nat. Helvet.* I. pag. 243: Trollius, inquit, flos, vt noſtrum vulgus appellat, et in hortos etiam transfert, coronarius eſt, nec alius ex ea vſus.

Tropaeolum. "Ita dixi, ait Linnaeus, herbam, „cum hortulani communiter ſolent pyramidu„lum reticulatum extruere, per quem ſcan„dat planta, dum lepide veterum repraeſentat „tropaeos ſeu ſtatuas victoriales, vbi folia „clypeos, et flores galeas auratas ſanguine „tinctas, haſtaque pertuſas repraeſentant." *Hort. Cliffort.* p. 143.

Trophis.

TROPHIS. Num a τϱοφὶς, ιος? id eſt, bene nutritus, pinguis, atque etiam cibus.

TUBER (Lycoperdon). N. tuberis, media correpta. De tuberibus veterum conf. Waarenkunde 2. pag 73.

TUBERARIA (Ciſtus). Caſtellani, ait Bauhinus, eam *yerva turmera* vocant, i. e. herbam tuberariam, quoniam vbi illa creſcit, tubera frequentiſſime reperiantur. *Hiſtor. plant.* 2. p. 12.

TULIPA. Non libet repetere, quae de hiſtoria ac nomine huius herbae expoſuimus in *Hiſtor. inventionum* 1. pag. 223. et 2. pag. 548.

TUNA (Cactus) nomen Americanum.

TURBITH (Seſeli) nomen Arabicum; idem quod turpetum, niſi fallunt ſcriptores. Legitur iam apud Avicennam.

TURPETUM (Convolvulus). Conf. Martinii *lex. philol.* Ruellius p. 637. Dodonaei *purgant. hiſt.* cap. 22. p. 175. Graecis recentioribus τούϱπετ, τουϱπίττη. Conf. Du Cange *gloſſar. Graecit.* pag. 1591.

TURRITA (Arabis). Nomen obtinet ab extremorum caulium forma, qui in metae aut pyramidis effigiem deſinunt; Cluſio auctore *hiſtor.* 2. p. 126.

TURRITIS, eandem herbam olim alii turritam, alii turritem vocarunt, quae vero nomina hodie diverſis herbis impoſita ſunt. Vtrum-

que mediam producit. Ex ſententia Linnaei *philoſ. bot.* p. 169. turrita dicitur herba alta et anguſta.

Tussilago. pen. produc. tuſſilaginis, pen. corrip. Ante aliquot ſaecula factitia nomina botanica deſinebant in —*lago*, vti noſtra memoria nova mineralogorum vocabula in —*ites*. Habent ſua fata et nomina.

Typha. τύφης Dioſcor. 3, 133. meminit, "cui „florum effigies turbinata, quaſi typhonis ſeſe „gyrantis turbinem, aut gigantis ſtaturam mi„nacem ſignaret, nomen dediſſe videtur; vel „potius τίφη a τίφος, quod locum lacuſtrem „notat." Bauh. *pin.* p. 20. Haec quidem ſententia mihi probabilior videtur. Naſcitur enim herba typha in paludibus ac ſtagnis, et videntur τύφη et τίφη eadem nomina eſſe. Sic Aeoles dicunt ἴψοθεν pro ὕψοθεν.

Ulex, icis. Pen. corrip. Lexica Gesneri nomen femininum faciunt, ſed Plin. 33, 4. ſect. 21. p. 618: *ulex ſiccatus vritur, et cinis eius lavatur.* Ergo non male dicitur *Ulex europaeus.*

Ulmaria (Spiraea) a foliorum forma C. Gesnero ſic dicta. Plinio *ulmarium* eſt locus ulmis conſitus.

Ulmus, i. F. Graecis πτελέα.

Ulva, ae. herba paluſtris Virg. et Ovidio.

Unedo, onis. F. in nominativo correpte; eſt enim ab *vnus* et *edo*, eo quod, vna eius bacca comeſta, altera vel tertia propter auſterum ſaporem haud expetatur, Plinio auctore. In genitivo penultima producenda.

Uniola, ab unione glumarum ita dicta. *Philoſ. botan.* p. 166.

Urena. Huius quidem nominis piſcis eſt apud Plin. 32, 11, quod mediam corripit, Gesnero auctore in Lex. Fabri. Herbae autem nomen Dillenius in *horto Elthamenſi* p. 431. finxit e nomine Uren, quod in *Horto Malabarico* P. 10. p. 3. tab. 2. plantam huius generis deſignat.

Urinaria (Phyllanthus). Sic C. Gesnerus nominavit *Leont. taraxacum*, quam herbam Galli vocant *piſs en lit*, quod vrinam infantibus ciere vulgo credunt. Sed haud ſcio, cur a Linnaeo Phyllanthus ita dicatur.

Urtica, cae, ab vrendo dicta. Pen. produc.

Usnea (Lichen) officinis ita dicitur ex *Axneeh et Uſnee* Serapionis. Dillen. *muſc.* p. 56.

Utricularia. "Singulares admodum in hocce „genere ſunt veſiculae pellucidae vnico fora„mine perviae, radiculae adpenſae, vnde no„men utriculariae huic generi aptiſſime datur." Lin. *flora Lappon.* p. 13.

Uveda-

UVEDALIA. factitium nomen ex *Wedalia* Pet. *muſ.* p. 799.

UVULARIA, ae. a Trago ita dicta, quod uvulae praecidentiam tollere credant.

VALERIANA. Barbarum nomen, a multis quibus valet facultatibus, quare et *theriaca* olim dicebatur. Bauh. *pin.* p. 164.

VELLA. Hoc nomen a Galeno ſe accepiſſe dicit Linnaeus *h. Cliffort.* p. 329. Sed non reperitur, niſi in libro *de ſimplicibus medicaminibus*, qui Galeno falſo adſcribitur, et cuius Latina tantum interpretatio habetur. Vid. Galeni *opera* edit. Gesneri, ad calcem pag. 92.

VERATRUM, nomen antiquum. Producitur. Nomina enim in —*atrum* deſinentia hac quantitate omnino gaudent. Conf. *Poet. Gieſſ.* p. 57. Atque Lucretius 4, 641: *Praeterea nobis veratrum eſt acre venenum.*

VERBASCUM, i. cuius Plin. paſſim meminit. Apulejus *de herbis* cap. 71.

VERBENA, ae. pen. produc. De ratione, cur noſtratibus dicatur Eiſenkraut, conf. diſſert. Sigism. Schmieders in Hamburg. Magazin 5. p. 252.

VERBESINA. Nomen videtur ortum ex *verbena ſupina;* nam ita herba olim dicta eſt. Attamen

men C. Gesnerus *de hortis German.* p. 259. B. et p. 296. B. auctor est, dici eam Bononiae Forbesinam, quo alia vocis origo indicari videtur. Conf. Bauh. *hist. plant.* vol. 2. p. 1073. in appendice.

Vernix, icis, F. (Rhus) media corripitur. Vocabulum veteribus ignotum, ex *βερνίκη*, *βερνίκις*, *βερονίκη*, quibus graecobarbari pro succino vsi sunt. Conf. Salmas. ad Solinum, et quae inde attulit Vossius lib. 2. *de vitiis sermonis.* Conf. Du Cange *glossar. graecit.* v. *βερνίκη* et Martinii *lexic. philol.* Du Cange in *gloss. lat.* habet etiam *vernicium*, ex vita B. Lidwinae: *sed quasi vel vernicio linita, tanto splendore radiabat.*

Veronica, videtur dici posse quasi veronica a viribus, quas habet contra pestilentes febres aliosve morbos. Martin. *lex. philol.*

Vesicaria (Alyssum), dicitur a fructus forma. Tournef.

Viburnum. Virg. *ecl.* 1, 26: *Quantum lenta solent inter viburna cupressi.*

Victorialis (Allium) e Germanorum Siegwurz, quod est victoriae radix. Sic superstitio maiorum herbam nominavit. Conf. Gesner *de hortis* p. 245. B.

Vinca a vinciendo dicta est. Plin. 21, 11, et 21, 27, vbi quoque *vincapervinca* legitur.

Viola, ae. pen. corr. Graecis ἴον, a quo violae nomen per diminutionem factum videtur.

Viorna (Clematis) ex Gallorum *viorne*, quod ex viburno ortum creditur. Ruell. p. 659.

Virecta. Recentiſſimum nomen, neſcio vnde. Latinis eſt virectum ſ. viretum locus herbis virentibus amoenus.

Viscaria (Lychnis) a viſco. Sic noſtratibus Pichnelke. Viſcarius Latinis eſt auceps.

Visnaga (Daucus), ſcribitur etiam Bisnaga; videtur eſſe nomen Hiſpanicum. Conf. Waarenkunde 1. p. 588.

Vitalba (Clematis) e vitis alba contractum nomen.

Vitex, icis. F. pen. correpta Plin. 24, 9.

Viticella (Clematis), deminutivum nomen, quo primus Caeſalpinus videtur vſus, pro quo Latinis eſt *viticula*.

Vulvaria (Chenopodium). Quis primus foetoris ſimilitudinem agnoſcere ſibi viſus ſit, non conſtat. De botanicis vero primus eo cognomine vſus eſt, ni fallor, Caſtor Durantes.

Weinmannia. Hanc plantam Brown ab amico ſuo nominavit Windmanniam, ſed cum nullus in botanica clarus Windmannus, paululum mutavit Linnaeus nomen in memoriam Weinmanni, de quo conf. Böhmer p. 212.

Xanthium, herba, qua rufantur capilli. Plin. 24, 19. Dioſcor. 4, 133. ξανθὸς, flavus.

Xeranthemum, pen. corrip. ex ξηρὸς, aridus, ſiccus, ἄνθεμος, flos. Nomen bene convenit in florem exaridum.

Xiphium (Iris), herba, quae Romanis gladiolus. Conf. Plin. paſſim. ξίφιον, gladiolus.

Xylopia. Num ξυλόπους, ligneum habens pedem? Fecit Linnaeus nomen, vt evitaret *Xylopricum* Pluken.

Xylosteum (Lonicera), nomen novum, quaſi lignoſſeum, propter ligni duritiem. Martinii *Lex. phil.*

Xyris, idis. pen. corr. Plin. 21, 20. ſect. 83. ξυρὶς vel ξειρὶς, gladiolus ſ. iris.

Zacin-

Zacintha (Lapsana). Ex Zacyntho, Graeciae insula fortasse allata. Primum legitur, ni me fallit memoria, apud Matthiol. ad Dioscor. 2, 125. p. 389. Latinis Zacynthus est insula, nomen vero gentile zacynthius vel zacynthinus. Ergo rectius dicatur *zacynthia* sc. herba.

Zamia. Originem nominis an coniectura adsequutus sim, dubito; dicam tamen quid de ea sentiam. Plinio 16, 26. zamiae sunt strobili in pinu, nucesque pineae. Fortassis inde traxit nomen herba, quae hodie refertur ad filices, etsi quae sit nominis ratio non constet.

Zanthoxylum. Nullus dubito, quin sit legendum *xanthoxylum*, id est, lignum flavum. *ξανθὸς*, flavus. Namque fuerunt olim, qui *Mori tinctoriae* varietatem, quae etiam praebet lignum illud, quo tinguntur panni, xanthoxylum dixerint. Atque Pluken. Morum xanthoxylum retulit ad genus xanthoxylum Linnaei. Male igitur scribitur per z. Conf. Waarenkunde 1. p. 125. et Millers Gärtner-Lexicon 3. p. 220, 226. et 4. pag 905, vbi recte scriptum est per x.

Zapota (Achras), aliis Sapota, nomen Indicum, quod etiam Sappa et Anglis *Sappatilla-tree* scribitur. Conf. Sloane et ex eius libro, quae relata sunt a Raio *histor. plant.* 3, 2.

dendrol.

dendrol. p. 78. et Millers Gärtner-Lexicon 4. pag. 79.

ZEOCRITON (Hordeum). Si descendit a ζέα et κριθὴ, hordeum, rectius scribitur per th; sed nescio an sit a κριτὸς, η, ον, selectus, optimus, quasi zea optima. Nomen veterum auctoritate carens penult. corripit.

ZERUMBET (Amomum), appellatur Arabibus, Persis ac Turcis zeruba. Conf. Garcias ab Horto.

ZEUGITES (Apluda). Plinio 11, 12. et 16, 36. zeugitae sunt arundines. Pen. produc.

ZINGIBER (Amomum), zingiberis et zingiberi. Pen. semper correpta. Conf. Waarenkunde 1. p. 224, 233, 234.

ZIZANIA. ζιζάνιον legitur apud solos evangelistas in novo testamento et apud theologos, non nisi in plur. numero.

ZIZYPHUS (Rhamnus), media correpta. Est arbor apud Pallad. 1, 31. Zizypha vero sunt fructus eius arboris.

ZOSTERA. A ζωστὴρ, ῆρος, cingulum, baltheus, deducitur in *Philos. bot.* Erit itaque media producenda. Nomen herbae marinae bene convenit, cum fasciae similis sit. Ruellio rectius p. 625. dicitur zoster.

Zuzygium (Myrtus), nomen a Brown falso scriptum. Sizygia, ae, σιζυγίαι, est coniugatio, connexio. Ceterum zygia Latinis est arbor, ex qua fiunt iuga iumentis.

Zygis, idis, (Thymus), pen. correpta. Apulej. *de herbis* 99. et Dioscor. 3, 41. est herba, quam serpyllum agrestem vocant.

Zygophyllum. Ita dictum Linnaeo, quod folia coniugata habent omnes species, vt boves sub iugo. *Hort. Cliffort.* p. 160.

Color.

Color.

Composita ex colore cum nominibus et cum numeral. et praepos. corripiunt penultimam. Sic bicolor, tricolor, discolor, concolor, cet. Ovid. *fast.* 1, 80: *Et populus festo concolor ipse suo est.*

Fero.

Composita e Fero cum nominibus, quorum Latinis ingens numerus est, quem botanici auxerunt, penultimam corripiunt. Sic enim baccifer, corymbifer, pestifer, corripiunt penultimam; eodem modo debemus corripere factitia nomina: gummifera, prolifera, balsamifera, elemifera, somnifera, vinifera, bulbifera, stolonifera.

Findo.

Composita cum numeral. et praepos. corripiunt pen. bifidus, trifidus, quadrifidus, multifidus. Ovid. *metam.* 2, 325: *Naides Hesperiae trifida fumantia flamma.*

FLOS.

Nomina adiectiva, quae botanici ſine auctoritate finxerunt e Flore, debent produci, cum prima in floris, florens, ſemper producitur. Tibull. 1, 2, 14: *Supplice, cum poſti florea ſerta darem.* Itaque producenda haecce adiectiva olim ignota: grandiflora, biflora, curviflora, nudiflora, longiflora.

GLUMA.

Quae botanici inde finxerunt adiectiva, ea penultimam producere debent, ſic *Iuncus biglumis, triglumis.* Eſt enim gluma, folliculus ſeu theca grani in frumento, a glubendo, cuius ſyllaba prima producitur, Catullo auctore 59, 5, in verſu phalaecio hendecaſyllabo: *Glubit magnanimos Remi nepotes.* Eodem obſcenitatis ſenſu *deglubere* legitur apud Auſon. *epigr.* 71, 7: *Deglubit, fellat, molitur per vtramque cavernam.*

Γυνὴ, mulier, femina, vxor.

Prima ſyllaba corripitur, quam ob cauſſam etiam *digynus* (Rumex) mediam corripit.

IUGUM.

IUGUM.

Cum prima huius vocis pars corripitur, corripi debet quoque penultima in *biiuga (Melicocca)*, vel Silii Italici auctoritate 2, 82: *Pars comitum biiugo curru, pars cetera dorso.* De foliis biiugis, triiugis, quadriiugis cet. conf. *Amoen. acad.* 6. p. 229.

LOBUS.

Λοβὸς, infima pars aurium, item iecoris fibra, item binae partes, in quas abeunt semina quaedam, atque etiam foliorum partes. Graecum est, non Latinum. Inde folia biloba, triloba, quadriioba. Lotus tetragonolobus, id est, legumen quatuor angulos habens et in quolibet angulo lobum, quae omnia penultimam corripiunt.

OLERE atque olens.

Primam syllabam corripiunt. Itaque penultimam corripere fas est in *graveolens (Anethum)*, *suaveolens (Ballota)*, cet. Sic Virg. *aen.* 6, 201: *Inde, vbi venere ad fauces graveolentis Averni.* Catullus 61, 7. in carmine generis

Glyconii, vbi tamen in prima ſede eſt trochaeus: *Suaveolentis amaraci.*

TOMUS.

Graecis τόμος, ergo corripienda quae inde derivantur adiectiva. Dichotomus (Scirpus), dichotoma (Minuartia). Colum. 10, 369: *Sed iam prototomas tempus decidere caules.*

1 4 6 2.

Vt Plato teſtatus eſt, veteres cum plurimas rerum ignorarent, alias omnino non nominarunt, alias non recte. Non eſt igitur, quod nomina nobis imponant, ſed inſpicienda nobis eſt ipſa rerum ſubſtantia.

GALENUS *de ſymptomat. differentiis.* cap. 3. p. 24. edit. C. Gesneri.

CORRIGENDA.

Pag. 28. lin. 11. lege *Asarum*, non Arum.

Pag. 40. lin. vltima lege: *Quapropter*.

Pag. 95. lin. 3. lege *Plinii*.